

VOTOS
DE
REDA
CIA
N

1844

15

VI

42





24. 8. S. Zannoy

15. VI. 42

IN U.S.

LIBRO VIA
HEBRAIZANDI,

ASSERTA
CONTRA NOVAM

ET
METAPHISICAM
NOB. ENAM.

AMM. GONNOLIBENS.



APM JOANNEM LUZAC,

Handwritten signatures and notes at the bottom of the page, including what appears to be a date and possibly a name.

V E T U S
E T
R E G I A V I A
H E B R A Ï Z A N D I,
A S S E R T A
C O N T R A N O V A M
E T
M E T A P H Y S I C A M
H O D I E R N A M.
A B
A L B E R T O S C H U L T E N S.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM LUZAC,
MDCCLXXXVIII.

*Summe Reverendo et Clarissimo
D. Balthasar. m. a.
R. 1570*

V E T U S
E T
R E G I A V I A
H E B R A I Z A N D I
A S S E R T A
C O N T R A N O V A M
E T
M E T A P H Y S I C A M
H O D I E R N A M
A B
A L B E R T O S C H U L T E N S



LEONHARD EYBNERUM
A M P L O N I E M I L U Z A C
M O D E R N A M

PRÆFATIUNCULA



pus aggredior, quod, ut spero, lucem tandem idoneam omnibus præpandet; atque quicquid adhuc dubitationis, vel & iniquioris opinionis alicui forte adhærescit, diluere poterit, atque dissipare.

Id ita nunc a me conceptum digestumque, ut ad Elementa ipsa Literaturæ nostræ in publico descendam, ejusque primas quoque lineas adspiciendas præbeam.

Qui a multis judicatus fui non satis dilucide hætenus Principia, quæ sequor, exposuisse, vereor ne nimis clare nunc ea oculis subjecisse censear.

Debeo tamen laborem huncce Juventuti Academicæ; debeo etiam Viris quibusdam Doctissimis, qui nunquam a Methodo nostra dissentire potuissent, multo minus sinistras nescio quas suspiciones admittere, si modo quid per Origines intelligatur in Linguis, satis attente & profunde introspectissent.

Ingenuitas, qua omnia mea enudo, atque non vincere tantum, sed & vinci paratum me ostendo,

PRÆFATIUNCULA.

do, impetrabit, spero, ut & ipsi vicissim Veritati concedere non recusent. Hanc a nobis stare, ut abunde evictum, ita luce meridiana clarius porro evincetur.


Alia Principia hoc in genere Literarum dari non posse, Orbis Literatus, quem lubentissime Judicem fero, facile agnoscet. Si quis tamen firmitus aliquid, & Scripturis Sacris dignius habere se credat, illud nec Publico, nec mihi, ulterius ut denegat, etiam atque etiam rogo.

De ordine Libri, e multis Sectionibus in Volumen unum alterumve coalituri, verbum factum pag. 34. introductionis, quæ Præfationis majoris locum largiter explebit.



V E T U S
E T
R E G I A V I A
H E B R A Ï Z A N D I

A S S E R T A
C O N T R A N O V A M , E T M E T A P H Y S I C A M ,
H O D I E R N A M .

I. am viginti quinque anni sunt, ex quibus pro-
videntia Divina me *Linguae Hebraeae* profiten-
dae admovit. De Fontibus hodiernae cognitionis in Ling. Hebr.
Provinciam hanc in Alma *Frisiorum* Acade-
mia auspiciatus fui Oratione Muneri accommodata *de Fontibus ex quibus omnis Linguae Hebr. notitia manavit, horumque vitiis, ac defectibus.*

Ejus Argumentum ut brevi in tabella conspiciendum praebeam, instituti praesentis ratio flagitat.

Editionis repetitae pag. 8. quae post *Tom. I. Originum* visitur, praestruo omnem istius *Linguae* notitiam, postquam intermorta fuit, e quinque potissimum Fontibus revixisse, atque in Scholis tum *Judaeorum*, tum *Christianorum*, renovatam fuisse.

II. Horum *primum pag. 12. 13.* ostendo fluere in *Dialectis Orientalibus*; sine quibus si fuisset, etiamnum maximum. Primus fons.
ma pars Codicis sacri clausa jaceret.

Ejus defectus. Subjungo deinde pag. 14. 20. quid causæ sit, cur nec a *Rabbinis*, nec a *Christianis*, hæctenus omne illud lumen ex *Dialectis Chaldaica, Syriaca, & Arabica*, præstari poterit, quod ad sacri Codicis perfectissimam intelligentiam requiritur.

Secundus. III. Pergo inde pag. 20. 21. ad *secundum fontem*, qui in *Versionibus Veterum* manat: LXX. *Vulg.* aliis, unde *Christiani*, itemque *Paraphrasi Chaldaea*, unde *Judei* libentius haurire soliti.

Ijusdem defectus. Hinc pag. 22. 27. descendo ad *defectus*, ex quibus hæc *Versiones*, quibus tamen semper justum tuli pretium, laborare videntur, quo minus omne id conferre valeant, quod ad *Linguae Hebraeæ* cognitionem consummandam desideratur.

Præsertim præposteram *Rabbinorum* rationem taxavi, in *Paraphrasis Chaldaicis* potissimum sequendis.

De LXX. autem, reliquisque, me alias acturum dixi: Factum in *Originibus*; atque ulterius, dante Numine, conficietur.

Tertius fons. IV. Accedo deinceps, p. 28. 29. ad *tertium Fontem*, situm in *collatione attentissima locorum inter se* &c. & submoneo ibidem, eo usque se abripi passos nonnullos, ut *hanc solam sufficere* summa cum contentione pugnarint.

In quo deficiat. Qui *collationem* istam cum prioribus adminiculis ita conjunctam esse sentio, ut inde nunquam divelli queat; immoderatam illam & absurdissimam jactationem castigavi, qua sine *Dialectis*, sine *Versionibus veterum*, sine ulla *externa luce*, ex solo textu *Hebræo* se omnia ista eruere posse gloriantur nonnulli, quæ ad *Sacra Scripturae* explanationem completissimam exiguntur: ipsas quoque *Verborum omnium Originés*, & *abditissimos recessus*.

Adversus hanc gloriationem insurgens pag. 30. 31. præmitto, neminem sibi vel in *Latino Scriptore* id arrogatu-

turum, ut ex ejus solius Lectione non ad *secundarias* solum, sed etiam ad *primarias* omnium vocabulorum *virtutes* sese penetrare posse jactet: atque in hanc desino exclamationem. *Et tamen quod in Europæa, cum sensibusque nostris conjuncta oratione nemo, nisi a sanitate alienus sibi assumere auderet, id in Lingua Orientali &c. Viri Docti sibi arrogabunt?*

Quam moderate rem tractarim, ex pag. 32. elucescet, ubi ita prosequor. *Quorsum hæc? Eo Aud. H. non tantum ut ostendam quam vehementer eorum requiri possit judicium, qui ex una sola Hebræi textus Lectione omne illud lumen hauriri posse dimicant, quod Interpreti præpandi necesse, ne devius feratur. Verum etiam ut ex hoc simili, tanquam e speculo, reluceat, ad quem usque finem Virorum Doctorum laudabilis impetus committi ac pervenire potuerit; ubi gradum sistere ipsa eos rei Natura coegerit; præcidam brevi: ut clareat qua ex parte Lingue Hebrææ, ex tertio hoc Fonte, lux adfundi potuerit, atque reapse adfusa sit: quid contra tenebris adhucmersum jaceat **ÆTERNUMQUE FACERE** necesse sit, nisi externum & foras apportatum lumen accendat, atque colustret. Ea nempe hujus Lingue non minima, neque minimi etiam momenti pars quæ in Verborum versatur Originibus, quæ Vocum spectat Etyma, quæque Nativam earundem vim ortum, progressum, a primis inde natalibus illustrat.*

Vides me omnia dedisse Doctis illis viris, qui *tertium Fontem* ut unicum laudant, quæ res & ratio dare permittebant: & nihil iis detraxisse, nisi quod ipsi sibi detraherent necesse est, si modo materiam hanc rite expendere velint.

Tanto ergo majore cum fiducia a pag. 34. ad 47. differo de *Admuniculis Originum indagandarum*, quæ sola restant in rerum Natura, atque consequentiam hanc adstringo, vel deponendam esse curam hanc, vel eas ibi tantum quæ-

rendas ubi Natura ipsa præcedit, atque viam monstrat: id est in *Dialectis* quæ ærtissimo cum *Hebræa* vinculo sunt connexæ.

Quar-
tus; non lim-
pidus.

V. Vela hinc colligens; tango pag. 47. 48. *Quartum Fontem*, quem ubi priores deficiunt, frequentare solent Interpretes; uti quum להל bis in *Proverbiis* occurrens, a plerisque *contundere* vertitur, ex *affinitate Literarum* cum הלם; etiamsi coactissimus inde, & ferme contusus, sensus, redeat. Talia bene multa per *Lexica*, & *Commentarios*, fusa.

Quintus
valde
contur-
batus.

VI. Postremo pag. 49. *quintum*, & ultimam, stringo *Fontem*, in *hariolandi artificio* situm; ut quum ישי in *Jobo*, ad minimum sex vel octo conjecturis diltribatur. Genus item multo liberius admissum, & latius manans, quam *Reverentia Verbo Dei* debita permittebat. Nempe *quidvis potius arripere malunt multi, quam ingenuam ignorantis dare confessionem*: ut p. 46. locutus sum. Id in *profanis scriptis* temerarium, in *sacris* quomodo tandem appellari debeat, vix invenio.

Cur de
his pu-
blice ser-
mo ha-
bitus.

VII. Nemo mirabitur *Linguae Hebrææ* professorem, talem *Materiam* elegisse, sub *Muneris sui* auspiciis, quæ ejusdem proram ac puppim constituebat.

Erant tamen & aliæ rationes gravissimæ, quæ me ad *Argumentum* hocce curatius expendendum, & *Erudito Orbi* offerendum, impellebant.

Ut has, quod invitus sane facio, nunc aperiam, *Veritatis* interest. Eas tamen promere non possem, nisi rem alius repetam, & *studiorum meorum* rationem aliquam, inde a *prima adolescentia*, exponam.

Initia
studio-
rum in
Acad.
Gron-
ing.

VIII. Ipso initio hujus seculi, spatia *Academica* in urbe *Patria* ingressus, atque *Theologiæ* dicatus, ut *Græcæ*, ita *Hebrææ* quoque *Linguae*, cognitionem profundiorum mihi necessariam esse, pro ingenii modulo, sic satis intelligebam;

&

& quanto securius hæc Doctrinæ Sanctioris fundamenta, ac firmamenta, a multis meæ ætatis adolescentibus negligi cernebam, tanto acrioribus stimulis me mei officii sentiebam admoneri.

Audiebam quoque tum a reliquis meis Præceptoribus Honoratis, inter quos Clariff. & Amiciff. *Rossallo* meo, etiamnum magno *Academiæ Groninganae* columini, *Geentia* bonæ mentis publice persolvo, tum a Celeberr. *Theologiæ* Professoribus, *Joh. Braunio*, & *Paul. Hulffio*, in primis, quorum Disciplina tradendus eram, nihil admodum in *Pakeltra Linguae Hebrææ* profici, aut cum dignitate confici, posse, nisi *Dialectorum* adfinium notitia, atque cultura, accederet.

IX. Ab his consiliis profectus, cum fundamentis *Hebraicis*, elementa *Chaldaicæ & Syriacæ Dialecti* avidè bibere cœpi, primoque meo biennio, his fere, cum reliquis propædeuticis, destinato, ad *Rabbinicæ* quoque perdetentim accedere conatus fui.

Quam jam satis firmus mihi viderer pro *Arabicis*, quæ omnium difficillima imaginabar, non sine admiratione legebam in *Præfatione* Cl. *Erpenii* ad *Rudimenta Ling. Arab.* eam a Magno illo Viro Studiosis *Theologiæ* commendari ut omnium *Dialectorum* facillimam, pro *Grammatica* institutione, unde initium facere deberent, qui *Hebrææ Linguae* jucundam & felicem operam vellent impendere.

Mentem percussit *Paradoxum*: & quiescere non potui, donec incredibilis rei experimentum cepissem.

Cepi, & manu ductione Amici spatio unius mensis usus, verissimum esse comperi, quod Cl. *Erpenius* de mira ista facilitate dixerat, simulque demirari cœpi, *Literaturæ Orientalis* agrum tam divitem, ac fertilem, adeo paucos Cultores reperire, quum tamen tot Magna Ecclesiæ, orbisque Eruditi, Lumina, incredibilem ejus utilitatem,

atque adeo absolutissimam necessitatem, supra omnem dubitationis aleam posuissent.

Vetus
Hebrai-
zandi
via a Cl.
Guilel-
mo reli-
cta.

X. Circa illud fere tempus in lucem exierat Cl. Guffe-
tii *Commentarius Linguae Hebraeae*, anno MDCCII. publici
juris factus.

Vir ille Doctiss. *Philosophiae* Professor, simulque S. S.
Theologiam, & *Hellenismum*, docens in *Academia Groninga-
na*, qui ex *Philosophicis* & *Metaphysicis* principiis *Lin-
guam Hebraeam*, quam a reliquis omnibus *Linguis Humanis*
toto caelo diversam agebat, illustrandam esse sibi persuase-
rat, idem *Orbi Erudito* persuadere laborabat: atque *Ve-
teri* exclusa, *Novam* introducere conabatur *Methodum He-
braizandi*, tum ore, tum opere hocce, elaboratissimo sa-
ne, & *quadraginta annorum* meditatione subacto, a *via*
hactenus *contrita* studiosam juventutem avocans, atque
deterrens.

Ea *via* ferebat, praemonstrantibus Clariss. nostris Theo-
logis, & Philologis,

I. Per *Dialectos Orientales*, quas *Filias Matri* simillimas
appellabant.

II. Per *Rabbinos*, *Linguae Patriae* sedulos instaurato-
res, quamvis non caeca fide audiendos.

III. Per *Veteres interpretes*: LXX. cum *Fragmentis A-
quila*, *Theodotionis*, *Symmachi*: per *Chaldaeos Paraphra-
stas*; reliquosque interpretes *Orientales*: per *Vulgatum* &
Hieronymum.

IV. Per *Recentiores* vel *Lexicographos*, vel *Commenta-
tores*, quatenus tum *judicio*, tum *studio*, intensiore, ex
illis *Fontibus* multa declarassent, atque ad evidentem de-
monstrationem perduxissent.

V. Ad hoc exemplum continua *Lectione Sacri Codicis*, & *Fontium* illorum inspectione, jubebant, iis quae
dubia, obscura, vaga, atque incerta, nobis relicta es-
sent,

sent, lucidiorem diem, pro virili, nostro tempore, infundere.

XI. Sic stabat *Groningæ* studium *Linguae Hebrææ*, & Nova
fatis feliciter florebat, quum ecce *Commentarius* Cl. *Gul-* ^{ejus}
setii illud concuere, & tanquam a *Radicibus* convellere ^{Me-}
cepit. ^{thodus}
^{quid pro-}

Promittebat Libri titulus *perfectiorem*, quam hactenus
obtineri potuerat, illius *Linguae* cognitionem ex *Metaphy-*
ficis speculationibus, & subtilitatibus abstractis, quibus,
ut *Philosophus*, dum sacra ista tractaret, se dederat.

Duo præsertim, quæ hactenus desiderari omnes ag-
noscebant, pollicebatur.

I. *Primarii significatus accuratam investigationem & defi-*
nitionem.

II. *Homonymiarum remedium*, quod *interpretationes Va-*
gas, ancipites, arbitrarias, eliminaret.

Alia adhuc, in Fronte operis suspensa, amputo. Tan-
tum dico: eum qui hæc duo solide præstiterit, absque
controversia culmen tenere *Eruditionis Hebraicæ*, atque
omne illud *Lumen* in medium ferre, quod *Scripturæ*
Sacræ Intelligentiam omnibus numeris absolutam, & nul-
lis nubeculis suffusam, dare queat, non pro liquidissimo
tantum, ubivis locorum, sensu, verum etiam sensuum
omnium interna granditate, ubertate, magnificentia,
& splendore; quem primigenia *Linguae* indoles, ac vir-
tus, iis infeminavit.

XII. Qui tantam provinciam se suscepisse, & sustine- ^{Ea}
re velle profitebatur, sine ullo metu invidiæ, hinc in Ca- ^{Meta-}
put redundaturæ, ut Virum magnanimum par erat, *Me-* ^{physica}
thodi suæ *Metaphysicæ Novam* sane, (nisi quod Cl. *Bob-* ^{tota.}
lius in *Germania* audaciæ isti prælusisset) a nemine saltem
in *Belgio* adhuc propalatam, & publice comprobata,
viam, ita pandit in *Præfatione*, pag. 3.

I. Non

Explo-
dens
Diale-
ctos.

I. Non per Dialectos Orientales primariam notionem verborum a se quaesitam fuisse. Rationes ibidem appositae, & Cap. IV. secundi Tomi Originum a me refutatae, denuo hic conspici velim.

Non emendicavi, inquit, 1. significationem principem ex aliis Linguis Orientalibus, quia enim laborant & ipsae Homonymiis, nulla spes est certitudinis, qua carent, ab iis accipiendae.

Præterea video, 2. Dictiones migrationibus ex gente in gentem, Lingua in Linguam, vix ulla evadere incolumes: quin vel permulent Elementum aliquod Radicale, sicque Radix ignoranda sit, vel notio alteretur.

3. Nec crediderim Deum, ut a populo suo nobisque intelligeretur, onerare nos tot Linguis discendis voluisse.

4. Denique illa Mater est Isarum, nec ab iis verba vocesque desumpsit, aut fari didicit. Fons est, & purioribus proinde aquis fluit. Hinc evenit ut illas raro attingam; idque non in Ling. Hebr. gratiam, sed ipsarum, ut ipsas per eam illustrem.

Hos omnes esse Paralogismos, & Philosopho plane indignos colores, evictum Cap. IV. operis citati; in ejusdemque præfatione breviter indicatum.

Itemque
Rabbi-
nos.

II. De Rabbiniis quid sentiat; ita declarat. Nec vero significationem primariam delecturus, Rabbino-
rum me ductui permisi.

Enimvero quid Rabbini sint, diuturna frequentique consuetudine nimium novimus: uti palpent, titubentque, uti auctores sint æquivocationum fecundissimi, nedum depulsores. &c.

Equidem Rabbinos non respuo, quasi non aliquid emolumenti ab iis lectis referatur; nempe quemadmodum ex Pontificiis, ex Socinianis, ex Paganis, aliisque Adversariis, etiam non pauca bene dicta, colligimus &c. &c.

Nostros, illis fidentes, admonitos volo, hominibus illis ab

annis fere bis millenis Ling. Hebr. non magis vernaculam esse quam nobis &c. eosque a Christianis vinci ingenio, diligentia, methodo &c.

Porro Rabbincum Idioma, quo aperiri ipsis portam ad Hebraismum opinere, contra recto de tramite eos abducere &c.

Quapropter Ebraismum inquinatum ab iis, aliunde sincerum quærere ut habeas, oportet.

Culpo etiam Christianorum erga eos credulitatem, quæ veritatis inquisitionem ad eorum Tribunal sistens, avertit ab ea inquirenda in locis ubi reperiri potest, & tamdiu donec reperia sit: dumque pulvinar est pigritiæ, colore tamen eruditionis fallit, pertinaciamque in præjudiciis obdurat &c.

Satisne gravem securim Lexicis Pagnini, Merceri, Buxtorfii, omnium ferme Recentiorum, quæ ex Rabbinis hausta, injicere videtur, ut cum Versionibus Vernaculis, Genevensi, Anglicæ, Belgicæ, reliquis, inde maximam partem confectis, uno ictu concidant?

Absit tamen, absit a me, ut invidiam propterea in Virum omni laude dignum commoveam. Pectus candidum, & virtuti ac veritati dicatum, sinistras suspiciones nec fovet, nec spargit, contra Fratrem. Ne concipit quidem.

Cl. Gussenius hoc eodem jure, eodem Zelo pro causa Dei, scribere potuit quo Forsterus; Stultitiam, & Socordiam increpans Christianorum, quod inania Rabbiorum somnia pro sensu Sp. S. amplecterentur.

Sciat tamen juvenus, nostræ curæ credita, hominem Eruditum in fervore disputandi limites egressum; & plus Rabbinis detraxisse, quam par fuerat, quum per eos seculis X. XI. XII. XIII. multa præclare, & solide constituta sint, quamvis circa Origines tam cæcutiant plerumque, ut ne quidem quid Origines sint, scivisse videantur: ne dum ut eas vestigare, atque eruere, studuerint.

III. De tertio porro fonte Veterum Versionum sic pergit. Nec nos

B

Dia-

*Versio-
nes Ve-
teres.*

Dialectorum Orientalium ex Ebraismo derivatarum tibicines ficulneos esse, simulque Rabbinoxum opem nutare gnari, numquid convertemus nos ad Versiones? Heic quoque frustra erimus.

1. *Si enim quæ Versio ex antiquitate Venerationem, ex proximitate, ex utentium multitudine, ex Virorum θεοπνεύτων eam allegantium sapientia, pondus, ex imitatoribus commendationem consecuta est, illa est quæ LXX. Viralis vulgo nuncupatur. Si quæ est igitur, maxime ea est unde subsidium ad Ebraismi intelligentiam sperare deberemus. Atqui multum abest, quo minus ad hoc valeat. &c.*

Ejus auctores nimis quam frequenter ignoratione conturbatos, hæsitantes invenias &c. &c. &c.

2. *Ex aliis Versionibus Græcis fragmenta tantum supersunt &c. Ne integræ quidem certum valde subsidium præstarent, quippe nimium recentes.*

3. *Vulgata Latina quid magni hoc in negotio conferat? Nimis sequax est illorum LXX. Nimis sæpe a textu Hebraico ipsa sese subducit &c. &c.*

4. *Majus operæ pretium facturum me non vidi si Versiones Orientales sequerer, tanquam proprietatum stili Hebræi indices &c. &c. &c.*

Nunquam quisquam eo progressus in Orbe Erudito. Adolescens talia non sine Stomacho legebam, & vix oculis meis ea lætitanis credebam. Nunc Stomachus occalluit, quippe qui cernam cum sententiis tanquam cum nucibus ludi sub sole. Est idem excessus, quem modo notavi. Studium videlicet suum Virum doctum evexit, & dum Linguam Hebræam radiis suismet resulgere, ad instar solis, contendebat, nimio illo splendore præstrictus, subito oculos amisisse videtur.

U. & IV. Certe jam non videntis amplius, aut quicquam discer-

cernentis, quod subnectitur. „ Interpretes tandem horum Recen-
 „ postremorum temporum, quacumque in Regione, ab ortu ^{tiores.}
 „ solis ad occasum, fœtus suos ediderint, non specto ut Magi-
 „ stros proprietatis mihi audiendos, quippe qui ejusdem ac ego
 „ sortis, iisdem difficultatibus commissi, eadem auxiliorum
 „ penuria solliciti sudant &c. &c. Absit ut Deus benignissi-
 „ mus scientiæ Sanctificantis progressum, quem suis scripturis
 „ procurare nobis vult, ex Versionum collatione illa inelucta-
 „ bili suspendat.

XIII. Si hæc judicium dictavit, non adfectus, non stu- ^{Exces-}
 „ dium Hypotheseos, ego me judicio omni destitutum confi- ^{sus Hy-}
 „ tear, necesse est. ^{pothe-}
 „ seos.

Facile tamen omnia hæcce condono *Metaphysico Lin-*
guæ Hebrææ speculatori, qui se medio in sole habitare crede-
 bat.

Incredibilia narro: en Viri verba.

„ Merito igitur illis externis non contentus, Dialecticis, pu-
 „ ta, Rabbiniis, Versionibus, me ad ipsam Linguam He-
 „ bræam confero, in scripturis, ubi residet, eam contempla-
 „ turus. &c. Spes est Linguam hanc propria luce, solis in
 „ modum, se ipsam nobis daturam ad cognoscendum. Sol
 „ enim quidam Linguarum Lingua Hebr. jure habenda est,
 „ quæ ut sol siderum primum emicuit, ita extitit ante omnes
 „ alias.

„ Et ut sol insito fulgore se manifestat, nullius auxilio in-
 „ digens, vi simili pollet ipsa per se.

„ Significandi munere functa est priusquam ulla alia Lin-
 „ gua.

„ Independens ab aliis, ut nata est, sic esse pergit &c.

„ Denique ergo illa nostrum Luminare magnum erit, sibi
 „ nobisque sol, sese nobis præbens cognoscendam vi nativæ suæ
 „ proprietatis.

XIV. Doleo enim vero, intime doleo, eo usque amo- ^{Gravis}
 „ ^{nimie-}
 „ re tar.

re *Hypotheseos* abripi potuisse virum summe Venerandum, ut quid scriberet, ipsemet amplius nesciret.

Ostensum *Tom. II. Orig.* p. 160. 161. Itemque p. 189. 190. quam multiplex in *Rhetoricationibus* hisce regnet confusio, neminem minus decens, quam qui *Philosophico lumine* se difficillima quæque illustraturum confidebat.

Est interim in omnibus hisce quod oculos infirmiores præstringere queat, quum una cum *Linguae Hebraeae* tantis illis *Virtutibus, Verbi Divini excellentia, atque Majestas*, mirifice sanciri videatur.

*Similitudo im-
prudens-
vissima.*

XV. Sed vide quam sibi ipse exciderit, & quonam, ex tanto lucis fastigio, deciderit, Vir Clariss. quum hoc simili *Methodum* suam *Metaphysicam* illustrat, scilicet, atque confirmat.

„ Denique non desperandum mihi apparet, si aliquis
 „ Ebraisnum merum, qualem in Bibliis habemus, faceret
 „ Interpretem sui ipsius, collatis uniuscujusque Radicis &
 „ structurae exemplis, fore tandem ut Radicum notionem &
 „ phrasium vim adstrueret, seorsim ab auctoritate interpre-
 „ tum, & ab aliarum Linguarum imitatione, quemadmo-
 „ dum qui Epistolam figuris literarum sibi ignotam legere vult,
 „ & ut vocamus dechiffrare, ille characteres spectat secun-
 „ dum illorum numerum, collocationem, viciniam, distan-
 „ tiam: perque has observationes certo colligit hunc caracte-
 „ rem significare literam a, illum b, vel c, banc dictionem
 „ esse auxilium, illam ferre, ipsam cras. &c. Idque ex
 „ ipsa Epistola sola elicit, & tamen perducit ad certitudinem
 „ manifestam.

„ Pari ratione considerando, & inter se comparando omnes
 „ Ling. Hebr. dictiones &c. &c. &c. sperandam puto Con-
 „ stitutionem indubitata partium Orationis in illa Lingua
 „ comprehensarum per Unam ejus Inspectionem; usque
 „ adeo ut deinceps Lectoris mens minime suspensa maneat ab

„ I R -

„ Interpretibus aut Grammaticis. *Ad hoc adspiravi.*

O solem *Linguae Hebraeae* in tenebras plus quam *Cimmerias* subito conversum, & a culmine *insiti splendoris*, ad obscurissimæ, & incertissimæ, *Cisræ* conditionem detractum!

XVI. Jam non est ferme quod miremur, tempestatem Fluctus in banc Methodum commo- ti. quandam super Caput Viri rurmurasse. Ut omnes sciant qualis illa fuerit, simulque Honestissimi pectoris cum sinceritatem, tum constantiam, tum reliquam unctiorem inspiciant, dabo quæ illuc collineant, ex pag. 7. *Præfat. ti.*

„ Non deterruit me illa quæ quotidie a Scriptoribus ut *Monstrum horrendum pingitur*, ætatis *lujus nostræ Malignitas*.

„ Illam forte non totam nosse me sivit vivendi ratio cui assuevi & insisto. Certe ex simplicitate mea omnes metior.

„ Et quemadmodum quicquid consilio juvandi me Ecclesiamve porrigitur, accipio gratus, lauo, commendo, &c.

„ Ita propensus sum ad putandum, aliorum animos eadem æquitate duci, nec esse meo deteriores.

„ Per familiares tamen quosdam meos non stetit, quo minus deterritus latuerim.

„ Narrarunt non neminem cum nonnullis affectis, per aliquot annos ante edi cœptum Opus nostrum, satagisse ut per-

„ suasum esset multis, me ejus unquam edendi spem omnem ac cogitationem abjecisse. Deinde postquam id ab insignibus

„ Typothetis susceptam rescivit, mirari per deridiculum, reptos qui adeo desperent. Eum factui meo fore quod Ju-

„ no Herculi, nec desore anguiculos, nec Lernam.

„ Objecerunt hæc quidem oculis illi. Sed illis ego credulus non sum. η αἰγάπη εἰς λογί(ε) τὸ κενόν. &c. &c.

Vide reliqua pag. 186. &c. tom. II. Origin. & stupebis, tam graves tunc, *Groningæ*, minas concitasse *Hebraizandi Novam* illam *rationem Metaphysicam*, quam nunc *Professor Groninganus* in *Historia Literaria* æque atque in *cognitione*

Dialectorum, Vetus videlicet, atque profundus, ut *Theologis* unice dignam, & omnibus aliis adminiculis infinitum quantum præstabiliorem, imperitiæ studentium turbæ, quin illiteratæ jam multitudini, *sermone vernaculo*,ingere, atque inculcare, sustinuit: ut *vulgus* saltem, O immortalem gloriam *Belgii* nostri! pro Viro magnanimo decidat, *Origines Hebræas* non e *Dialectis Orientalibus*, sed ex *Metaphysicis* fontibus limpidiſſimis, esse derivandas.

Institur in conspectum Methodi.

XVII. *Historice* nunc tantum *Gussetianismi* initia attingo: quem ut nudare cœpi *Cap. IV. & VII. Tom. II. Orig.* ita statu temporum id exigente, eundem penitus mihi discutiendum, & destruendum, esse video.

Redeo interim ad narrationem institutam.

Quum talia effata, necdum omnem eorundem absurditatem, & cruditatem, penetrans tamen, in primo studiorum cursu lectitarem, jam tum videbam, si *Methodus Gussetiana* obtineret, studium *Linguae Hebrææ* magis magisque retro relapsurum, & in *Metaphysicam captivitatem* asportandum fore; postquam e *Babylonica* ad lucem *Dialectorum*, aliorumque, quæ percensuimus, subsidiorum, feliciter emerisset.

Ea non prudentissime jacta.

XVIII. Dolebam præsertim, *Philosophum & Theologum* nil minus utique intendentem quam ut profanis hominibus materiam præberet triumphæ, ea *similitudine* usum in *Hypothesi* sua confirmanda, quæ si valeat, jam nec de *Grammatica Hebræa*, nec de *Syntaxi*, nec de *secundaria* potestate *Verborum*, multo minus de *primaria*, unquam quicquam satis *tutum*, atque *demonstratum*, haberi poterit.

Provocare sane ausim omnes *Mathematicos*, ut sepositis *Dialectis* reliquisque probatissimis nostris adminiculis, mihi vel ullum *Caput Geneseos* exponant; nedum ut *Psalmos*,

mos, *Proverbia*, *Jobum*, *Oracula Prophetarum* se explanaturus esse per *desfrandi* artificium confidant.

Qui hoc promitteret, eum ad agnatos & gentiles quantocius deduci juberent, & nunquam sanum sinciput habuisse, ipsi jurarent *Mathematici*.

XIX. Hæc quum mihi inter continuam *Sacri Codicis* Quid Adolef-lectionem & *Studia quotidiana* tam dilucide se offerrent, acens ac sol in meridiano lumine, adeo non movebar *paralogis-* contra *mis* illis, ut *Disputationem Philologico-Theologicam de Utilitate*, & *Necessitate Linguae Arabicæ* anno IV. hujus seculi, eam *iusdem* opponere in *Academia Patria* sustinuerim, postquam tenta- *eam* Cl. *Braunio*, ut *Præsidi*, censendam exhibuissem. verim.

Non directe quidem disputavi contra Cl. *Gussetium*, quod *Adolescentulum* parum decuisset: sed culturæ *Orientalibus Dialectis* aliquo cum fructu impensæ, ad ulteriorem illustrationem sacratissimi Codicis, ea tunc *specimina* proposui, quæ commendationis aliquid mihi tum intra, tum extra *Academiam*, attulisse experiebar.

XX. Anno VI. seculi LEIDAM nostram excurro *Academiciis* studiis finem jam prope impositurus: ibique ultimum in *Palestra Theologica*, ac *Philologica*, annum summa Leidenfis cum voluptate consumsi, *Marckio*, *Witsio*, *Tillio*, *Fab-* excur- *bricio*, *Perizonio*, *Gronovio*, nominibus mihi perpetuo sus. *Venerandis*, stimulos subdentibus, ad genus *Literaturæ*, in quod me exarsisse notabant, alacriter persequendum.

Manuscriptis etiam quibusdam *Arabicis* a Cl. *Tillio* adjutus, in spem veni accessus ad *Orientalis Gazas Bibliothecæ publicæ*.

XXI. Quum tamen res necdum matura esset, anno Trajectinus. sequente *Trajectinam* visitavi *Academiam*, & menses quosdam *Celeb. Relandi* dulcissimo consortio, præceptionibusque usus fui grayissimis.

Summi illius Viri voces ferme eadem, quas postea in *Præfat.*



fat. ad *Rel. Mubamm.* consignatas voluit, aures meas quotidie circumsonabant.

Cl. Re-
landi
voces
fortissi-
mæ.

XXII. Quam grave mihi tunc, & vehemens, calcar admotum sit ore facundissimo, ad viam a paucis tritam, a multis neglectam, a pluribus despectam, indefesso pede, indefesso animo, persequendum, quivis poterit arbitrari, si paucula modo ex *Præf.* illa excerptero.

„ Denique quod dicunt, non esse tantam *Linguae Arabicæ* utilitatem ut multum laboris, & operæ, in ea addiscenda collocari debeat, &c. est κενσόφύητον plerumque eorum, qui nihil *Arabice* intelligunt.

„ Illi scilicet judicabunt de hujus *Linguae* utilitate! illi inutilem esse *Theologis* notitiam ejus sermonis pronunciant! & sequentur hoc monitum; probabantque hanc sententiam, omnes qui *Dæ Pigritiæ* litant!

„ Si quis autem commendare hanc *Linguam* susineat, statim tibi, velut *Medusæ* caput, responsum hujus vel illius *Viri*, qui apud ipsos in pretio est, oggerent:

„ *Iis præsertim* in regionibus, ubi studii partium, & factionibus, homines sunt dediti: & omnia laudant vituperantque, prout ea commendari aut rejici ab iis intelligunt, qui illius sectæ *Capita* audiunt.

„ An ergo ulla est utilitas *Linguae Arabicæ*? Non dicam, ergo stultissimi suere tot principes in Orbe *Erudito Viri* &c. sed, an a *Theologo* hæc vox proficisci potest?

„ Unde tot loca difficilia &c. in *Jobo*, in *Prophetis*, in aliis *S. Scripturæ* libris lucem accipiunt, nisi ex *Lingua Arabicæ*?

„ Ex *Lexicis*, inquirunt, vocum omnium significatio peti potest.

„ Verum hæc ita abeunt a se invicem, &c. ut *Lectorem* reddant incertiores quam dudum &c.

„ Quid si *Lingua Belgica* unus tantum *Liber* superesset,

„ non-

- „ nonne vicinorum Germanorum Sermonem consulere debere-
 „ mus in indaganda vocum significatione?
 „ Dicunt sepe in vicinis Linguis verba diversissimas habere
 „ significationes, adeoque certum non esse, si hoc Arabibus id
 „ significet, idem Hebræis significasse.
 „ Non nego; certum non sit, probabile saltem est. Et si
 „ unam mihi vocem dederint quæ diversum quid sonet, cen-
 „ tum alias ipsis reddam in quibus significationes conveniunt.
 „ Atqui, inquit, quæ a viris doctis hinc prolata, legi-
 „ mus &c. &c. Sic ut necesse non sit propterea Arabica
 „ discere.
 „ Verum nondum exhausta omnia; nondum in aperta luce col-
 „ locata.
 „ Et an non præstat suis oculis videre, quam cæca fide aliis
 „ credere?
 „ Sed adeo contenti sunt homines hęc tempore alienis labori-
 „ bus, & fide implicita (quod in Pontificiis damnant) ut
 „ si Candidatis Ministerii Examen subire Ling. Hebr. non
 „ necesse foret, verendum esset, etiam hanc Linguam ne-
 „ glectui dandam.
 „ Quid opus haberent eam addiscere, si Versiones accuratæ
 „ sint, & a Viris Doctissimis probatæ.
 „ Atque ita pergimus, (ignoscite posteri!) citato gradu ad
 „ PRISTINAM illam, quam feliciter excussimus ante
 „ pauca secula, BARBARIEM.
 „ Quod Deus, precor, benigne averruncet.

XXIII. Hęc suo jam tempore Stator ille *Literaturæ He-* Stim-
brææ. Quid non nostro hocce dixisset, si &c. ? Sed per- lus hinc
 go potius. Currenti, ut dixi, hęc, & alia, calcar adde- mihi
 bant, ardentemque ita inflammabant, ut inde concepta subdi-
 alacritas semper semet recentibus stimulis, præfiscini! tus.
 punxerit, atque incitarit.

Sentiebam tunc penitius adhuc, atque profundius sen-
 C ti

tio nunc, non *levem* aliquam *causam* agi, sed multo *gravissimam*, unde *Linguae Hebraeae*, tum *conservatio* in sinu *Ecclesiae*, tum ulterior *illustratio*, & *consummatio*, ad dignitatem & excellentiam Verbi Divini, atque ad *decus Reformationis*, dependeat.

Conatus
juveni-
les in
Jobum.

Prolicuit me tum summa illa Eximii viri humanitas, ad meos in *Jobum* grossulos, & foetum immaturum, oculis ejus subjiendum. Judicavit talem, qui non omnino luce indignus esset. Auctoritate sua procurat mihi Bibliopolam; ipse curam revisionis ultimae in se suscipit: meque tanta amicitia ovantem, ad Lares patrios remittit.

Ibi annum agens XXII. post octo fere *Academia* datos, recipior in numerum *Candidatorum ministerii*, atque *Opusculum*, quod interea *Trajecti* praelum liberarat, *Facultati Theologicae* in *Academia Groningana*, ut par erat, offero approbandum.

Approbatio data nonis *Juniis* anni 1708. verbis tam honorificis, ut inverecundum esset, quicquam inde apponere, nisi interesset, ut incredibilis illa conversio rerum, quam nunc ferme experimur, ab omnibus quibus *Eruditio* cordi est, distinctius perciperetur.

Appro-
batio
eorum.
dem.

Præmissis ergo solemnibus, ita *Groningani Theologi* conatus *Juveniles* in *Jobum*, & *Specimen animadvers. Arabicarum* in totum *V. T.* comprobare, ac commendare, dignati.

„ Non modo sana, atque Orthodoxa, ea testamur; sed
„ & non vulgari *Eruditione* referta, illisque quibus severior
„ *sapientia* cordi, utiles, ac lectu dignas.

„ Deo O. M. gratias agimus, ob diligentiam, judicium,
„ aliaque dona insignia, quibus hisce nostris temporibus Ju-
„ ventutem inter nos beare non dedignatus est. Quo spes ad-
„ fulget, non desore Reip. Christianae instrumenta, in emo-
„ lumentum *Academiae*, & *Ecclesiae*, utilia.

„ Eun-

„ Eundemque summum donorum datorem veneramur , ut
 „ Auctori multis annis suo ductu & auxilio adesse dignetur ,
 „ ut eodem pede pergat , pluraque aliquando ejus opera matu-
 „ riora huic Tyrocinio respondeant &c. &c.

Quid judicii Cl. Relandus de iisdem tulerit , & ad com-
 mendationem *Libello* præfigi voluerit , sub conspectum
 dari non necesse est : quod *Philologorum principum* aucto-
 ritatem non defugiant solum *Metaphysici Linguarum tracta-
 tores* , sed etiam e *culmine Philosophi sui luminis* despecta-
 re soleant.

XXIV. Insequente anno *gradum in Theologia* consecu-
 tus , emisi *Animadversiones Philologicas & Criticas ad va-* Alte-
rum o-
puscu-
lum e-
jusdem
naturæ.
*ria loca V. T. in quibus ope Linguae Arabicæ multa ab in-
 terpretibus non satis intellecta illustrantur , plurima etiam no-
 ve explicanda modeste proponuntur. Amstelod. 1709.*

Amicissimus *Hemsterhusius* , cujus tropæa me dormire
 non sinebant , earum Editionem pro flagrantissimo in *O-
 rientales quoque Musas* amore curarat.

Titulus ipse , ut cernis , ingenue fatebatur , quid *Libel-
 lus* in sinu gereret.

Necdum tanta tunc obtinebat oblivio *Veteris & vere
 Regiæ viæ* , ut quisquam , qui inter Eruditos nomen profi-
 reretur , dicere sustinisset , me *novam nescio quam Linguam
 Scripturis inuitis obrudere* , quæ forte in avia abduceret
 &c. &c. &c.

Nullæ tunc voculæ a quoquam in me conjectæ ; nullæ
 descriptæ suspiciunculæ ; quales pro pectoris sui niveo can-
 dore , & generositate *Theologica* , qua eminere cupit , non
Latine solum , sed etiam *Belgice* , scintillarum instar , nuper
 sparsit magnanimus noster *Driessenius*.

Quam novicii sint in rebus *Literatis* magni isti , ut se- Item ple-
no calcu-
lo com-
proba-
tum.
 met salutant , *Philosophi* ; quamque parum absint a calum-
 nia , *Imperiti inter imperitos* talia ferere sueti , discant ex
 testi-

testimonio consummatissimi haud dubie *Theologi*, *Philosophi*; *Philologi*; *P. Hulstii*, qui *Facultatem Theologicam* tunc solus sustinens *Groningæ*, illud opusculum pleno calculo comprobare, & strenuis *Sacrarum Literarum ac Philologiæ præstantioris Cultoribus commendare de meliore nota non dubitavit.*

Probe compertum videlicet habebat solidus, & cordatus, talium Arbitrator, me *viam a principibus in Literatura Hebræa Viris calcatam*, quin imo a *Vetustissimis Rabbiniis frequentatam*, persequi: qua deserta, ne stare quidem possit, quod jam *pulchre exædificatum* in Ecclesia, nedum ut ad *fastigium*, atque *complementum lucis*, res *Hebræa* educi queat.

Hoc quia *Scopum* constituit *Scriptionis*, quam nunc suscipio, in sequentibus ita demonstratum, atque evictum, dabo, ut ne minimum quidem *subterfugium*, aut *latibulum*, *ignorationi* saltem *horum sacrorum* relinquatur.

Acces-
sus ad
MSS.
Biblio-
th. Ba-
tavæ
quasi-
tus.

XXV. Inter hos conatus, magis magisque perferentis- cere cœpi *Linguae Arabice utilitatem* non solum, sed etiam *absolutissimam necessitatem*, ad *profundiora adyta*, i. e. *Antiquissimas Origines Verborum Hebræorum* vestigandas, simulque *Harmoniam Dialectorum* omnium clariore in luce collocandam.

Perferentiscebam simul, nimis *curtam* esse *supellectilem Librorum*, vel *impressorum*, vel MSS. quibus hæctenus uti potueram, quam ut per eos ad tantum opus condigne suscipiendum, nedum sustinendum, quisquam adspirare posset.

Obversabantur ante oculos illa *Bocharti* verba, in *præf. ad Hieroz. quamvis Arabicos Libros paucos habeam, & pauciores legerim, tamen ex illis paucis magna mihi lux adfulsit. Itaque si quis Arabum scrinia sedulo excuteret, plura ex iis eliceret ad solidam Sacræ Linguae cognitionem pertinentia; quam ex Magistrorum Commentariis omnibus.*

Qui

Qui id genus *affeverationum*, a Maximis virorum, e maximo in rem *Hebræam* studio profectum, deprimunt apud *rudes*, *Eruditis* studium suum nunquam approbabit. Sed hoc alias. His ergo, aliisque, vocibus, ubique obviis apud *Literaturæ Orientalis cultores*, instimulatus, *Leidam* denuo cogito, ut in spem jam ante conceptam acrius insisterem, atque ad *Thesaurus Orientales*, quibus *Bibliotheca* caput effert, aditum ambirem.

XXVI. Admissus immortalis beneficio *Illustr. Curatorum & Consulorum*, totum me fontibus hisce immergo, integrosque dies in Antiquissimis *Poëtis*, præsertim talibus qui ante *Mubammedem* floruerant, excerpendis summa cum voluptate consumo. *Haririum, Eloquentiæ Arabicæ Principem, & Veteris Linguae condum, promumque, meum* facio: *meum*, describendo illud eminentis exemplar grandiloquentiæ *Orientalis*, in *Sacro Codice* eminentius adhuc conspiciendæ: *meum* quoque, *copiam illam & inexhaustam ubertatem Linguae*, in *succum & sanguinem*, quantum pote, convertendo.

Impe-
tratus.

XXVII. Duo ferme anni hisce laboribus impensi. Inde hi fructus ad me redundarunt:

Fructus
illius la-
boris.

1. *Dialectorum Orientalium*, atque speciatim *Arabicæ, Homonymiam*, quam Earundem non peritissimus iudex Cl. *Gusset.* principè loco objecerat, ex ignoratione nostra proficisci, atque per *Origines* penitus introspectas in suavissimam simplicitatem, ac gratiam, cum admirabili luce conjunctam, revocari, lætus quotidie experiebar.

2. Summa cum delectatione quoque reperiebam, *Rabbinorum* auctoritatem in *secundariis* notionibus plerarumque *Radicum* ope *Arabicæ, & Chaldaicæ, Dialecti* constituendis, non sine temeritate ab *Is. Vossio* repudiatam, & non prudentissime a Cl. *Gussetio* sollicitatam.

3. *Veteribus Interpretibus*, quibus nimium defertur ab aliis,

aliis, ab aliis nimium detrahitur, quid ex vero, & solido, competat, hinc accuratius dijudicari, & ad liquidiorum rationem perducere posse, intelligebam.

7. Eadem res, ratione *Recentiorum Interpretum*.

7. Denique operæ pretium me tulisse, pro ulteriore illustratione *Linguae Hebraeae*, & *Sacri Codicis*, cui, ut *Theologus*, vitam viresque consecraram, serio gaudebam.

Vocatio
Wassenariensis.

XXVIII. Jucundissimæ inter has *Gazas* moræ finem attulit vocatio *Wassenariensis*, mihi, tum quidem nihil minus expectanti, delata. Parendum erat supremo rerum Arbitro, cujus me bona manu illuc duci sentiebam. *Ministerium Sacrum* in amœnissima illa *Statione* obi per biennium fere, tanta cum jucunditate, ut ex intimo animi sensu testari possim, nullos unquam soles mihi tam serenos, tamque jucundos, ivisse.

Franc.
quera-
na.

XXIX. Hanc gratam, tranquillamque sedem, in qua vel consensescere cum summa dulcedine potuissem, relinquere me iterum jussit Providentia, *Linguarum Orientalium* professione in *Academia* perillustri *Frisiæ* mihi oblata. Sequor, ut par erat, & *Spartam*, cui me utcumque succinxeram, suscipio *Oratione Inaugurali* de *Fontibus unde omnis Ling. Hebr. notitia manavit*, *Eorumque Defectibus*: cujus conspectum supra p. 2-4. delineavi.

Auspicia
mu-
neris.

XXX. Tanto majore cum fiducia *Orationem* istam publicavi, quod me *Causam* agere *Veritatis*, & *nutantia*, per *Hypothesin Guffetianam*, *Linguae Hebraeae Fundamenta* confirmare, omnes rerum nostrarum intelligentes mecum judicarent.

Si forte nonnullis ea non satis placuit, amore *Guffetianismi*, sensim ac pedetentim irrepentis, id factum, quippe quo nil commodius, mollius, compendiosius, jucundius quin imo, atque delectabilius, inveniri queat, ad *Arcem Literaturæ Sacræ*, & *Supremum Studii Biblici culmen*, sine magno labore conscendendum. Quid-

Quidni? „ Non *Humana* est *Lingua* illa, secundum Cl. „ *Guffetium*, sed tota *Divina*? *Sol Linguarum*, *infuso sese* „ *manifestans fulgore*, sine *Dialectis*, sine *Rabbinis*, sine „ *Veteribus*, sine *Recentioribus Versionibus*, *cognoscendam* „ *nobis præbens vim nativæ suæ proprietatis*.

Nunquam quicquam absurdius in Orbe Erudito auditum, & tamen nunquam quicquam avidius, forte, securiusque receptum a studiosis, quibus *Compendiaria* Eruditionis *via* per se satis adblandiens, sub auctoritate magni Nominis non potest non unice arridere.

XXXI. Opinio tamen ista *Academiã Franequeranam* Recens non potuerat adflare. Cl. *Rbenferdus*, decessor meus, ibi memoria *Veteris & Regiæ* semper *viam* tenuerat: atque *Rabbinis* quidem paulo addictior, *Dialectorum* tamen præ iis *principatum* perpetuo inculcarat, atque collegia *Hebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, dum floreret, habuerat florentissima. Idem fuerat institutum, idem successus, Cl. *Camp. Vitringa*, patris, quum juvenis eandem *Spartam* ornaret; atque *Theologiæ* deinceps admotus, eadem *solidæ Eruditionis Biblicæ fundamenta* studiosæ juventuti insinuare, ac commendare, nunquam cessavit.

Hæbebam ergo campum tam liberum, tam dissensione omni vacuum, atque adeo eum intima Cl. *Collegarum* consensione conjunctum, in illa *Academia*, quam unquam optare potuissem.

Exercitia mea publica, & privata, pro ratione muneris, intermissum nonnihil (ob longiores infirmitates Cl. *Rbenferdii*, & vacationem illius professionis) studium *Lingarum Orientalium* suscitare, atque in pristinum vigorem restituere, conabantur.

Ut quanta materies erecta invitaret ingenia, distinctius intelligeretur, conscribere aggredior *Disputationes Academicas ad Origines Hebræas &c.*

XXXII.

*Eam ad-
versus
novam
& Me-
taphyfi-
cam de-
fenders
officii
ratio
flagita-
bat.*

XXXII. Has ut opponerem tum aliis perverſis *Hypotheſibus*, tum præſertim *Guffetianæ*, multa non hortabantur, non ſtimulabant; ſed cogebant.

Primo, qui inde ab *Adoleſcentia* illius *Hypotheſeos inſirmitatem* ſenſeram, jam ejuſdem *ruinas* altius introſpiciebam, non ſine dolore.

Secundo; eam in *Germania* magis magisque invaleſcere, multis de cauſis, alibi pandendis, obſervitabam.

Tertio, notabam quoque ſubinde, *Belgium* noſtrum inde non penitus intactum manere; quemadmodum ferme fieri ſolet, ut *facilis*, & *ſpecioſis* quibuſdam coloribus commendata *via*, ſectatores trahat.

Quarto, quum in *ſtudioſorum* meorum *curſu Arabicæ Dialecti* incredibilem utilitatem, & ubertatem, præ reliquis, expertus eſſem, illam *Experientiam*, quotidianis exercitiis teſe corroborantem, & rem dubitationi omni eximentem, ad firmamentum ſimul, ſimul ornamentum *rei Hebraicæ*, ſupprimere nec potui, nec ſane debui: quantumvis forte aliquid vocalarum, ab imperitis, aut alio ſtudio præſtrictis, in me redundaret.

Sancte tamen profiteor, me nullius vere *Eruditi in his Rebus*, & *ſubacti*, diſſenſionem expectaſſe.

Repeto hic, quod pag. 85. *Vindic.* ſcripſi. *Conſilium meum in opere de Originibus, tam Honoſtum, tam Neceſſarium, tam evidentibus rationibus, ac demonſtrationibus, quas omnis Literaturæ principia cuius ſuggerunt, ſubnixum, ut emirari ſatis nequeam unquam a quoquam, qui inter Eruditos nomen gerit, contradicſtum. Contraria omnia, ne quid mentiar, expectaram, & blanda nimis ſpe mihi promiſeram: non dubitans quin Cordatiſſimi Theologorum non ſolum conatibus noſtris faverent, verum etiam operas humerosque ſociarent.*

XXXIII. Hunc mihi ſenſum ſemper ſediſſe, percipias ex hiſce, quæ pag. 26. conſignavi.

*Scu-
dium be-
ne me-
rendi*

*Eo fidentiori animo opus hoc suscipio, quod praeclara sus- publice
ter conscientia, non me audacia quadam Critica ferri, aut declara-
novarum rerum studio in hanc provinciam involare, sed sponte tum.
eam sua sub manibus mihi succrevisse; defugienti sere ultro
se se ingessisse, tantaeque sui specie se commendasse, ut officium
quo Deo, quo Ecclesiae, quo Academiae, quo Bonis omni-
bus devinctus sum; prodero mihi viderer, si illud quod mihi
adfulsit Lumen, intra privatos conderem parietes, atque in
Commune conferre non suscinerem.*

*Eundem sensum ostendunt haecce ibidem. A viris gra-
vibus, & Scripturarum cupidis, petitum atque impetratum ve-
lim, ut me auctoritate sua armare non nolint &c.*

*In primis pag. 27. Tanta causae fiducia est, ut fructum Integra
fere officii praecipere ausim ac Bonorum omnium mihi assensio in S.
nem destinare: inque vicem fidem meam iis adstringo, ea me Script.
prudentia cursum hunc esse moderaturum; ut nihil novis Venera-
tionis. liis dedisse, nihil studio esse velificatum, (si quidem mortale
hoc est) nihil nimiae saltem cupiditati obsecundasse videri pos-
sim: Omnibusque planum fiat nusquam me a DIVINI VER-
BI MAJESTATE oculos dejecisse, aut AUCTORITA-
TEM cujusquam vel DIGNITATEM abjecisse.*

*Scilicet qui de Originibus Hebraeis, id est de abstrusissi- Integra
ma Linguae parte, ad quam aditus haecenus undique pra- in om-
clusus fuerat, me scripturum dicebam, eo ipso Auctorita- nes Bo-
tem, & Dignitatem omnium, factam testam praestabam, nos offi-
cio. quia circa ea me versaturum esse praemonebam, ad quae
nec Lexicographi, nec Commentatores, nec Rabbinii, dese-
ctu adminiculorum, potuissent accedere.*

*Confer quae pag. 3. supra excerpti; & nil disertius a me
exprimi potuisse, circa primarium illum curarum mearum
Scopum, ultro agnosces.*

*Universa quoque operis illius descriptio, & decursio, id
oculis ingerit, & infigit, omnium qui cum intelligentia*

Quid in
Lecto-
ribus
meis
suppo-
suerim.

quadam *interiore fundamentorum*, quibus *Studium Linguae Hebraeae* innititur, *Lectionem istam* suscipere dignati sunt. XXXIV. Enimvero fateor, me non descendisse ad *Elementa*, & *primordia* nostrarum *evictionum*, quae *Adolescentibus* instillari solent in *Collegiis*: hoc enim in tali *opere*, parum vel *dignitatis*, vel *decentiae*, habiturum existimabam.

Supposui, ut par erat, *Lectores* ab *Humanitate*, & *Literatura* tum *Latina*, tum *Graeca*, non imparatos: saltem *communi illo sensu*, & *gustu*, *Linguarum* eatenus imbutos, ut *exteriorem usum* vocabulorum, ab *interiore eorum forma*, i. e. *Origine*, discernere valerent.

Tales quoque supposui, quibus non ignotum,

1. Quid esset *Vossianismus*, sive *factio Critica*, pro *LXX. vidualis Versionis* auctoritate *suprema* adversus *Hebraeum Codicem*, aequae ac *Linguam*.
2. Quid *Tridentinismus*, pro *vulgatae* *Authentia* depugnans; atque ex illo tantum fonte *Hebraizandum* esse sanciens.
3. Quid *Rabbinizantes*, ita dicti; qui a *Rabbinorum* placitis ne latum quidem unguem discedere auderent.
4. Quid *Bobliani*, & *Gusseliani*; i. e. *Linguae Hebraeae* *Metaphysici*, vel *Hyperphysici* potius, *Doctores*, non *secundarias* tantum *notiones Radicum*, ex *sola locorum Collatione* se eruere posse tendentes, verum etiam, quo nihil alienius a sana ratione, *Primarias*, & *Antiquissimas* illas, quas nomine *Originum* insignimus.
5. Quid denique *Schola* illa *Vetus Virorum* in *Literatura* nostra principum, qui cum *Antiquis Versionibus*, & *Rabbinis*, *Orientalibus Dialectos* conjungendas esse statuerunt; ut sub his *adminiculis Collatio illa locorum*, & *meditatio intensissima*, qua *secundariae notiones* consti-
tui debent, feliciter procedat: atque etiam conspi-
rante

rante multorum labore, ad *Primarias* tandem, cum tempore penetrare detur.

Qui tali oculo *Libros de Originibus*, cum *Vindiciis* eorundem adversus ictus formidabiles Cl. *Driessenii*, nec non *Libellum de Defectibus Hodiernis Ling. Hebr. & Clavim Dialectorum* inspexerit, ac perlegerit, ei omnis forte pagina lucem feret; ut contra omnis pagina confundat, & conturbet, necesse est eum, qui in hisce principiis vel parum, vel nihil, est versatus.

XXXV. Documento evidente Cl. *Driessenius*, cum omnibus *Driessenianis*, qui se *Sanctum* adversus me *Zelum Zelare* autumant, ideoque *pias quoque fraudes* in me permissas forte credunt.

Hi si unquam ad scripta mea oculos tales adjecissent, quales in *Lectoribus* meis desidero, nunquam ne tacita quidem suspicione me verberassent, nedum ut tot imprudentes, imperitos, absurdos, de *Honestissimis meis*, addam, (sentiens cui serviam, & cujus in viribus item, pugnetque;) *Ecclesie Reformatae profuturis* conatibus, sermones concitassent, longeque ac late disseminassent.

XXXVI. Nempe *Originum mearum scopus* tam purus, tam *Linguae Hebraeae* ad pristinum *splendorem* revocanda accommodus, tam cum *Numinis gloria*, & *Dignitate Caelestium V. T. Oraculorum* conjunctus, ut nemo, qui ad eum vel perite & candide nostra legendo, vel institutiones nostras audiendo, penetraverit, eundem non collaudarit, & unice *studio Sacrarum Literarum consummando*, plurimorum conspirante industria, aptum natum judicet.

XXXVII. Quid agunt, scilicet, nostrae *Origines*, reliquique *labores*, quid moliuntur, & quo tandem, adspirante Divina gratia, conditionem *Linguae Hebraeae* evahere conantur?

atque
Theo-
logis
omni-
bus di-
gnus.

1. *Vossianis* arma e manibus extorqueo; eosque suomet gladio jugulo.
2. *Vulgatam* justis quoque finibus sese continere cogo, quatenus notiones *secundariæ* fatis feliciter sæpe ex his *Fontibus*, ut & ex reliquis *Versionibus Veterum* elici posse concedens, idem tamen pervinco, nunquam ex *Versionibus* illis *primarias significationes* posse constabili.

Si Il. *Vossius* viveret, virum excellenti Eruditione, & acerrimo *judicio Critico*, judicem ferre auderem: prout nunc Antistites omnes *Ecclesiæ Romanæ*, qui sacra hæc paulo penitius adspexere Arbitros fero.

3. *Rabbinis* vindicans *auctoritatem* competentem, eam tamen ad *Origines* perducere non posse demonstro.
4. *Versionibus Recentiorum* nihil omnino detrahens, quippe qui *secundariam potestatem Hebræarum Radicum* tantummodo in *Vernaculis* quisque *suis* representare & possunt, & debent, omnibus facem accendo, ad quam de *Primaria Virtute* verbi, *judicium* ferre queant.
5. Cl. *Boblii & Guffetii* *Philosophicam* illam *arrogantiam*, venia sit verbo duriusculo, qua se *Metaphysicas Origines Verborum Hebræorum* in officina cerebri sui conflare posse pertendunt, summæ revinco *imprudentiæ*, & *ignorationis Elenchi*, quippe qui nesciverint revera quid sint *Origines Linguarum*, sive *Formales*, quas vocitant, *significationes*; semper in *abstracto*, ut *Philosophi*, quaritantes, quod non nisi in *concreto* potest inveniri.
6. *Harmonia Dialectorum Orientalium* *suarivissima*, per quam *Hebrææ* vel *Matri*, vel *Sorori*, (qua de distinctione alias, data opera) pristinus splendor refundendus, per *Origines* nostras jam lætius cœpit splendescere,

cere, atque Deo dante, jucundiore usque & usque lumine resplendet.

7. Sic tandem obtineri poterit, quod Cl. Guffetii *Methodus* frustra pollicetur, & quo tamen omnium utique vota, & conamina, feruntur.

a. Ut *Primarius significatus & sensus dictionum, phrasumque, accuratissima investigatione definiatur.*

b. Ut *Homonymie, & interpretationes vagæ, ancipites, arbitrariæ, addo temerariæ, & ex cujusque cerebro haustæ, eliminentur.*

c. Ut *paleis omnibus opinionum, & hallucinationum, depulsis a S. Scriptura, discordia, & factiones, quæ cursum Regni Evangelici præpediunt, sopiantur, atque Nomen & Verbum Dei Unum sint, in universo orbe terrarum.*

XXXVIII. Qui tales conatus in *Professore Linguae Hebraeæ* prudenter, & reverenter, exercitos criminatur, in circulis imperitorum vellicat, suspiciunculis sinistris adspergit; quantumvis forte Sancto Zelo se animatum putet, semet decipit, qui enim *Zelo Dei, Zelo Veritatis*, idem quoque *Zelo ardet caritatis*, & nunquam a *candore*, reliquisque *principiis purioribus*, quibus *Veritas* coli debet, defleat. Qui intime compertum & perspectum habeo, *Hypobesin Boblii, & Guffetii*, quæ *Origines Verborum in Officina Metaphysica* flat cuditque, fenestram aperire *insinitis hallucinationibus, & fundamenta solidæ interpretationis* quaterere, ac labefactare; nunquam tamen sinistri quicquam de *Viris illis Laudatissimis* sparsi, studiosisve insinuavi: ne in mentem quidem unquam admisi: sed semper honorifice de eorum animo adfectuque in rem *Hebraeam* sensi.

Idem dicere possum de *Systemate Hieroglyphico* Cl. *Neumannii, Læscherti*, aliorumque qui se *speculationibus* istis *sublimissimis* permisere; quarum specimen attigi in velita-

tiuncula contra Cl. *Driessenium* ; sive *Cap. VII. Tom. II. Originum.*

Idem quoque de *Forsteri*, *Avenarii*, aliorumque, doctis sane, & omni laude dignis laboribus ; quantumvis perpetuas in iis ruinas deprnderim ; sub quibus *rem Hebræam* tandem *collabi* necesse foret ; si istac ratione cum *literis adfinibus*, tanquam cum *bullulis* ex aqua sufflatis, luderetur.

Quid in
Adver-
sariis
nostra
revictu-
ris exi-
gam.

XXXIX. Hos *errare* cum optima intentione, tanquam manibus palpo, quia eorum *Systemata* jam per *viginti quinque* annos, & ultra, identidem *examinavi*, & *bonis rationibus revincere* mihi videor posse.

Si quis idem de meo *Systemate* credat, idque *erroris* arguere se posse confidat, ut sæpe testatus sum, atque etiamnum contestor, gratissimam mihi rem fecerit, *bonis si rationibus* me *convincere* dignetur, postquam *Systema* meum cum debita *Linguarum* cognitione, attentione, & veritatis affectione, examinaverit.

Sapientia quæ superne est, primo quidem *pura*, inquit *Apollolus*, deinde *pacifica*, æqua, *persuaderi facilis*, plena *miseriordiæ*, & *fructuum bonorum* ; non studio *partium judicantis*, sine ulla *Hypocrisi*.

Hanc an servaverit Cl. *Driessen*: etiamsi *Systema* meum necdum intelligat, atque *Arabica* profundissime ignoret, judicent *Sapientes*.

Imperitiam in hisce & *incogitantiam* viri, qui *Logicam* & *Metaphysicam* suam infinitis parasangis omnem *Dialectorum* lucem superare gloriatur, indocti juxta, doctique, agnoscunt.

A *piis fraudibus* quoque eum non temperasse, & ex *Scriptionibus* ejus *Latinis* jam palam feci, & ipse denuo *Belgica* sua *Scriptiuncula* in *Præfatione* nuperrime edita confirmatum voluit.

XL. Qui per eadem vestigia vel iverunt jam forte, vel *Bonam*
ulterius ire volent, nunquam *causæ* nostræ nocebunt, sed *causam*
contra *paratior* ei *viam* facient apud omnes qui suismet *servant*
oculis videre, ac judicare, possunt: quin imo efficient, ut *injusti*
viri docti, & cordati, quibus forte adhuc aliquid scrupuli *oppor-*
inhæret, quod *statum Controversiæ artibus obscuratum* non *tes.*
fatis plane perspexerint, ibi tandem *Veritatem* esse agnos-
cant, ubi illa sine *artibus*, sine *partibus* his, vel illis, si-
ne cupiditate cuiquam placendi, nisi soli Deo, defen-
satur.

XLI. Nisi hunc animum ad *Sara* hæcce coram facie *Quo a-*
Ecclesiæ, & Orbis Eruditi, tractanda, per gratiam Dei *nimo*
adferre potuissem, nunquam tanta cum mentis serenita- *semper*
te, interioreque tranquillitate, tantam hancce causam sus- *adse-*
cipere, aut sustinere, valuissem; inter fluctus illos existi- *ctus sue-*
mationum de me meisque erga rem *Hebræam* studiis con- *rim, at-*
ceptarum, etiam a nonnullis, quorum & Doctrinam, & *que sim.*
dignitatem, & gravitatem, intime revereor.

Nempe alte cadere non metuit, qui non alte se effert.

Vinci, si errem, cupio: quid enim homini *veritatem*
ex vero animi *sensu* quærenti optabilis, quam ut ipsi er-
ror a Viris prudentia & eruditione eminentibus eri-
piatur?

XLII. Hujus sincerissimæ meæ mentis clara documen- *Ejus a-*
ta præbet, tum *Caput IV. Tom. II. Originum*, ubi *Clariss.*
Gussetii argumenta adversus usum *Dialectorum* candide *docu-*
expendi; tum præsertim *Caput V.* ubi & *plura*, & *gra-*
viora, quam hæctenus factum fuerat, *arma* in me ipsum *menta.*
converti, atque *Causam* nostram *quindecim classibus argu-*
mentorum ita impugnavi, ut opinione quorundam meismet
manibus, & telis, jam confossa jaceret.

Nunquam ante istam disputationem, quicquam *difficul-*
talum mihi vel sentire, vel legere, vel audire contigit,
quæ

quæ non ibi a me propositæ, atque mihimet objectæ.

XLIII. Non extra oleas ibo, si eas hic strictim sub conspectum dederò.

Quindecim
Classes
Diffinitum,
quibus
mimet
ipse im-
pugna-
vi.

1. *Dialectum Arabicam*, qua in primis utor ad *Origines*, longius recedere a *puritate Hebræa*, quam reliquas.
2. *Eam ingentem copiam* vehere *Verborum*, quæ nec in *Hebræo Codice*, nec in fundo *Chaldaico*, ac *Syriaco*, compareant.
3. *Earundem Radicum* significationes in *Hebræa & Arabica Dialecto* sæpe vehementer *dissidere*; quin *adversa fronte pugnare*.
4. *Confusanea turba*, & *multitudine inexplicabili*, *notionum* laborare *Radices Arabicas*.
5. *Arbitrarium* ferme, & *imaginarium* esse genus, *Origines* inde eliciendi: atque *studium* hocce tam *vatum, vagum, turbidum* esse, ut a *purissimo Hebraismo Biblico* procul debeat haberi.
6. Fieri non posse, ut non *Arabica Dialectus* majorem in modum *degenerarit* a *prisca puritate Hebræa*, ob tantam *diversitatem gentis, genii, vitæ generis, religionis, rituum sacrorum, & profanorum &c.*
7. Parum verisimile item, quum *Lingue* omnes tam *volubiles* sint, isti *Dialecto antiquissimam* suam *vim ac indolem* tam *constanter*, ac *integre*, potuisse manere.
8. *Seriorem quoque esse auctoritatem* *Scriptorum Arabicorum*, quippe qui *seculo septimo* demum a *Mubammede* initium ducant.
9. *Originationibus*, quas promo, semper aliquid *ulterius* restare; neque hoc pacto *ullum unquam finem* fore, ubi *fisti* queat.
10. Quin imo *antiquissimas Origines ipsius Lingue Arabicæ* æque ac *Hebrææ* necessario *intercidere* debuisse

jam

- jam ante, quam ea per *Joktanum*, filium *Heberi*, ejusque *tredecim filios*, in *Arabiam Felicem* immitteretur.
11. Ne satis *firmum* quidem esse, quod *Arabum Historici* narrent de *istis Conditoribus Regni Joctanidarum*, ejusque *perpetua duratione*, inde ab ortu, per tanta temporum spatia, usque ad *seculum sextum Christianismi*.
12. *Viam*, quam teneo, & ex cathedra commendo, esse *iniquam, imprudentem, periculosam*.
- a. Per eam utique *ansam porrigi profanis hominibus omnia luxandi, & susque deque miscendi*.
- b. Per *novas nostras curas receptis in Ecclesia Versio- nibus multum derogari*; & *imperfectionis argui ipsum Fontem Hebræum &c.*
- c. Per easdem *detrahi & derogari meritis Excellentium Virorum*, qui etiam aliquid in *Hebraicis sci- verunt, & sciunt*.
- d. Per eas denique *Novaturientibus latam portam pandi*, ad *quidvis e quovis eliciendum*, & *sine modo ac modestia grassandum*.
13. Quæ a *Castellis, Bochartis, Pocockiis, Hottingeris*, aliisque *Dialectorum Cultoribus* producta, non adeo *magni esse momenti*; sæpe etiam talia, quæ *pro luce tenebras offundant*.
14. Inter *initia Reformationis Dialectos* quidem *Chaldai- cam & Syriacam* ab *Hebraïzantibus* adhibitæ, sed *Arabicam* ne cognitam quidem fuisse. Eam *Noviciis* haud dubie *Vocabulis impuratum; luxuriosam, horri- dam, vastam*, ad quam vix accedere detur: quam- que imponere velle *Hebraica tractaturis*, importu- num esset.
15. Et cui tandem *bono* istæ *Origines* tam operose quæ- sitæ? quum ipsemet concedam *secundarias & tran- slatas Verborum significationes* in plerisque, vel citra

hanc opem, ex *collatione locorum* constare posse.

Hæc to- XLIV. Qui talia tela adversus se ipsum in publico de-
videm; stringere sultinet, non ut *prævaricator*, aut *colluser* sui ip-
sincer- sius, sed ut *cordatus veri indagator*, is adeo *Vinci* non me-
tatis no- struit, ut potius *revinci* discipiat.
stre pi-
gnora.

Omnes has cum *rationes*, tum *cavillationes*, resolvit & refutat *Caput Sextum*. Si ista *refutatio* parum *solida*, cur non *meismet jaculis configor*, cur non *meismet responsionibus convictus*, & *constrictus*, arguor?

Si quis XLV. Dicuntur restare alia, & quidem multo graviora,
plura, quæ non atigerim. Respondeo me nullius *Scientiæ*, at-
 que *Eruditioni*, limites ponere: sed tamen *graviora* illa
gravi- & gra- viora illa
viora mihi plane *incomperta*: ut proinde rem gratissimam mihi,
babeat Literato orbi utilissimam, facturum sit, qui ea exponere
ea cor- non defugiat. Non persuadeor tamen ea esse *prætensa* illa
date ex- *graviora*, quæ ipse data opera suppressi, honoris causa,
promi quia nihil minus quam *Sapientiam*, & *gravitatem*, *Viris* di-
velim. gnam, continere visa sunt.

Via bo- XLVI. Ut autem tanto commodius, placidius, corda-
nesta. & tius, *Finis* imponi possit *concertationi* in longum facile exi-
Viridi- turæ, & quod avertat Deus, divisionis aliquid animorum
gna, ul- parituræ, *Opus* aggredior *Pacificum*, ad *concordiæ* & *con-*
teriori *sensionis publicæ* vincula jucundissima inter Fratres suaviter
discuf- adstringenda comparatum, quod si Pater Luminum bene-
sioni a- dictione sua hunc etiam in finem prosequatur, *Votorum*
peritur. consequar summam, atque cumulatissimum me operæ pre-
 tium tulisse arbitror.

Delineationem *Operis* nullam præmitto; quia illud per *partes liberiores*, sive *Sectiones* emittere decrevi non adeo magnas, in unumque deinceps *volumen*, vel forte & alterum, conven-
 turas. *Inscriptionem* feci, *Vetus & Regia Via Hebraizandi*, *asserta contra Novam, & Metaphysicam, Hodiernam*.

S E C T I O P R I M A.

*Exhibens Fundamenta & prima initia, secundum
quæ Linguas tractandas esse nemo materia
intelligens dubitare potest.*

I. **Q**UANDO *Origines Hebraas* scribere ingressus sum, Originum non *supposui* solum, sed etiam vere *credidi*, præcipua *Fundamenta* mearum *ratiocinationum*, atque *demonstrationum*, ab omnibus qui in *Literis Linguisque*, tum *doctis*, tum *Vernaculis*, vel subacti, vel non indiligenter verfati essent, ultro agnosci, absque ulla alea dubitationis.

Ne nunc quidem aliter iudicare fas est: & persuasissimus sum etiamnum, si *Scriptum* hocce aliqua cum cura, & attentione, legere dignentur homines *Eruditi*, miraturos omnes, tantum *dissensionis* adversus me exortum circa *principia*, in quæ omnes qui quid *Linguae* sint unquam expenderunt, mecum consentiant atque conspirent necesse est.

II. Qui nunquam a *Veneratione* cujusquam, pro persona quam sustinet, vel tantillum recedere mihi permisi; eundem animum retineo; & non ex *ignorantia* a me *diffideri* autumo, sed ex *ignoratione interioris nostræ Methodi*: quæ si modo *attente lecta*, atque *intellecta* fuisset ante, quam *judicium* ferretur; haud dubie longe plurimos *consentientes* habuisset.

III. Hoc cum aliqua *fiducia* adfirmare possum, quia *Experientia* mihi *compertum*, multos qui *assensum* ante negabant, idque etiam in *præsentia* cordate promebant, statim atque *interiora* nostra *principia* ac *fundamenta* adspexissent, *Methodum* comprobasse, eamque ambabus ulnis amplexos esse.

Qui hoc in *bene multis* expertus sum, in *omnibus* idem mihi polliceri & possum, & debeo, si *Veritati* a mea parte non desim, sed paulo *distinctius* atque *enucleatius* exposuerim *rerum nostrarum fontes*, quibus se totos utique dare, & applicare, nec possunt, nec debent, qui gravioribus Doctrinis curisque occupantur.

Octodecim
Canonum
qui primam
tantum
nostram
constituunt.

IV. Non nimis confidenter me loqui, demonstrabit *conspicuum* *Canonum* illorum, quos in *Vindiciis* adversus *Cl. Driessenium* pag. 17. & seq. in aciem instruxi.

Eorum tanta *lux*, & *evidentia*, ut *Axiomatum* locum in *Arte* nostra obtinere quodammodo possint: quippe quæ *posita* tantum, etiam *demonstrata* haberi queant, apud *intelligentes Linguarum*.

1. Axioma. Omnes *Linguae* habent aliquid *privum*, *singulare*, *domesticum*, *suum*, tum in *secundariis*, tum in *primariis significationibus*, quod in *alias Linguas* eadem *virtute*, *dignitate*, *venustate*, & *amplitudine*, transfundi non potest.
2. Hic *character* multo *eminentissimus* est, ob summam antiquitatem, in *Lingua Hebraea*, ejusque *Dialectis Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*.
3. Omnes *Linguae* sub uno *Vocabulo* unam tantum *significationem primariam*, & *propriam*, possident.
4. Eaedem tamen omnes *fecundæ* sunt in *significationes*, quas vocamus, *secundarias*, per *Metaphoram*, *Metonymiam*, *Synecdochen*, *Ironiam*, *Catachresin*, aliosque *tropos Rhetoricos*.
5. Tanta hæc *fecunditas*, ut *una princeps*, & *propria*, potestas *unius Vocabuli*, sese aliquando ad *triginta*, *sexaginta*, *centum*, & *ultra*, *secundarias* & *tropicas significationes* diffundat, haud secus ac *stirps ramos majores*, *minores*, quaquaversum dimittit.
6. Inter has *secundarias notiones* nulla sæpe *similitudo* apparet,

paret, *convenientia* nulla, nulla *concordia*, sed contra *dissimilitudo*, *discrepantia*, *pugna*; quæ tamen revera nulla esse nec debet, nec potest, in *Lingua* bene constituta.

7. Harum *dissidentium* & *pugnantium* *significationum concordia* inveniri plane nequit, certe non *demonstrari*, nisi præ manibus sit *primaria*, unde *secundariæ* illæ profluxerunt.
8. Hæc tamen *primaria*, *princeps*, *propria*, *una*, in omnibus *Linguis* est rarioris usus; quum ex adverso *Metaphoricæ*, *Metonymicæ*, *Synecdochicæ*, reliquæque illæ, quas *secundarias* dicimus, multo creberrimæ sint, & passim regnent.
9. Id adeo verum, certumque, ut aliquando *primigenia potestas* in magno *Libro*, & *Auctore* copioso, quin & in pluribus, ne semel quidem occurrat, ubi *secundariæ potestates* omnem paginam implent, & sexcenties recurfant.
10. Quo minor *copia Librorum* in aliqua *Lingua*, eo impeditior *investigatio Originum*, sive *principum notionum*, unde *secundariæ* manarunt.
11. Si *unus* tantum *Codex* ex aliqua *Lingua* supersit, qui de *rebus humanis* & *Divinis* copiose & ornate tractet, per *Naturam* ipsam *Linguae* fieri nequit, ut in eo *Libro* plerorumque *Vocabulorum Originem* contineantur: sed, ut modo insinuatum, vel *nullæ* ibi comparebunt vel *rarissimæ*.
12. Jam vero quæ *Originem* in ipso, quo gaudemus, *Libro* non continentur, eæ ex illo certe *fundo* effodi, & *solide demonstrari* nequeunt; etiamsi universam vitam in *acerrima collatione*, & *contentione locorum*, consumeremus.
13. Nempè *secundariæ* illæ *notiones*, quæ per *Metaphoras*,

ras, Metonymias, Synecdoches, Ironias, aliasque figurationes efflorescunt, adeo *arbitrariae* sunt, adeo *liberae ac solutae*, ut *a priori* nullo ingenio humano, nulla arte *Critica*, nulla *Logica* aut *Metaphysica* speculatione attingi aut demonstrari queant; sed *a posteriori* demum reperiuntur, id est per inspectam *Originem* patefcunt, atque se sua luce & gratia omnibus insinuunt.

14. Ut *Origines Hebraeae* in *Versionem Vernaculam* quamcumque transfundi nec debuerunt, nec sane potuerunt, ita *a sensu communi* abhorret, eas ex *Versionibus* sive *Veterum*, sive *Recentiorum*, indagare & constituere velle.
15. Quae *Origines* in *Fonte Hebraeo* ne adsunt quidem, multo minus adhuc in *Versionibus* exprimi potuerunt.
16. *Primariae istae potestates*, sive *Origines*, quae in *Bibliis* ipsis non extant, nec occurrunt, secundum *Naturam rei*, & *Sanam rationem*, nusquam alibi nec *residere* possunt, nec *vestigari* debent, quam in *Dialecticis* ejus, & *corpore Linguarum Orientalium*.
17. Nullae *Dialectici*, quibus aliquid inter se cognationis, sibi met sufficiunt, ad *Origines* sibi suas praestandas: sed *mutuam opem lucemque* desiderant.
18. Ad *interiorem medullam Linguarum*, & *Originum conspectum sensumque vivum*, non per *Lexica* pervenitur, sed per *assiduam Lektionem Librorum*, *fontiumque Veterum*. Parum sapit, qui e *Lexicis* tantum sapit.

Canonum bonum demonstrationis duplici via.

V. Hi *Canones*, in *natura ipsa Linguarum* fundati, *demonstrationem secum suam* ferunt, apud omnes rerum intelligentes: nulliusque *diffensionem* verentur.

Idem ut omnibus minus ad haecce vel *promtis*, vel *firmis*, grata luce *persuasionis* ac *convictionis* sese insinuant

re

re possint, *duplici utar via*, altera *breviore* in gratiam studiosorum; altera *longiore*, pro iis qui jam longius progressi.

CAPUT I.

Brevis, & compendiosa, Demonstratio Canonum precedentium.

SECTIUNCULA I.

I. **B**reviorem primo *viam* hujus *demonstrationis* strictim *Demonstratio* decursurus, redordior a primo nostro *Canone*, cui *brevior* nemo non, vel levissimo *Literaturæ* gustulo tinctus, ultro *prioris* subscribet. *Omnes Linguae habent aliquid privum, singula- Canone* re, *domesticum, suum, quod in alias Linguas eadem Virtutis.* re, *Dignitate, Venustate, amplitudine, Emphasi, rarissime transfundi potest.*

Rem *publica* omnium *Experientia* comprobata simpliciter nunc pono; necdum enim ad profundiora eundem. *Constru- ctiones omnibus*

Efficitur autem *privum* illud & *domesticum*

1. Per *construendi* rationem; quæ alia plerumque in *Bel- gico*, alia in *Latino*, alia in *Græco*, alia in *Hebræo* sermone. *Materia* tam late fusa, quam cujusque *Linguae Syntaxis* sese diffundit per aliquid *singulare*, quod in nullam aliam *Linguam* eodem plane situ, flexuque, *Vocabulorum* transferri se patitur.
2. Per *formulas loquendi ex ritu peculiari, ac domestico*, *Formu- lae item* oriundas. *privæ.*

Hebræa est formula, אָפֶּה אַתָּה מְצַרְעָתוֹ collegit eum a lepra sua: i. e. liberavit, purgavit, sanavit. Ratio locutionis, quod leprosi extra castra, extra urbes,

bes, in agro solo degere coacti, quum a *plaga liberati essent*, *recolligerentur* quasi ad populum, unde separati fuerant, *domumque reciperentur*. Utrumque *Hebræis* חָסַד. Verte *Belgice*, *Hij heeft hem Vergadert van zyn Melachtsheit* / vel *Latine*, *Recollegit eum a lepra sua*; nihil dixeris; vel saltem non tale, quod sine *Interprete* intelligi queat.

LXX. tamen auli 2 *Reg.* 5: 6. Ἀποσταύσεις αὐτὸν ὑπὸ τῆς λέπρος αὐτοῦ. Hoc *Hebraïsmis* eorum *perpetuis* annumerandum.

Latina est *formula*, *Mactare hostiam*, pro, *mola salsa augere*: quod & *immolare*. Utrumque *Metonymice* pro *jugulare* frequentatur. Si *Belgice* id *conversas*, *een offerhande vermeerderen* / *een offerhande vermeelen* / *nugas egeris* *nugacissimas*.

Genus infinitum omnibus in *Linguis*, sive *ritus Ecclesiasticos* spectemus, sive *Politicos*; reliquosque *mores gentium*, unde pro *genio* quæque suo, atque *ingenio*, *locutiones* efformare solent.

Proverbia
privata.

3. Per *formulas Proverbiales*; quarum *ingens* omnibus in *Linguis* copia & *silva domestica*, quas *extra regiones* ubi *natae*, ubi *frequentatae*, ubi *omnium ore contritæ*, *efferre* non licet.

Quis ferret in *Occidente* *proverbia Hebræa, Arabica, Aramæa*, a rebus sibi nunquam visis, *auditivæ*, *ducta*? *Consimiliter Orientalium* *palato* parum *saparent*, quæ *Europæis* & *nunc*, & *olim*, in *deliciis*.

Significationes
privæ.

4. Per *diversissimas Origines*, sive *notiones primarias* *vocabulorum*, etiam tum, quum *nulla adhuc agitur* *Metaphora*, *Metonymia*, *Synecdoche*, *aliusve tropus* &c.

Cæli
unde
dicti.

- a. Exempli gratia *שמיים* *coeli*, a *celtate* dicti, nihil commune habent cum *Latino* *vocabulo*, unde
tan-

tandem cumque illud derivetur; sive a *Cælando* secundum eos, qui *cælum* scribere maluerunt. Sive a *καλον* *carum*, secundum eos, quibus *coelum* potius placuit. Hinc reliqua *corpora* & *corporea* condiscas velim.

b. Quæ *corpore* vacant *substantiæ*, rarissime eodem, sæpissime *diverso e fonte* denominatæ.

Conveniunt $\kappa\lambda\iota$; $\piνεῦμα$, *Spiritus*, sed hæc jam ^{Item} sub *Metaphoram* ire incipiunt: nam *mens animi* ^{Spiritus.} est $\muέν$ & $ἀνέμῳ$ secundum *Originem*: i. e. *Vis manens venti*, sive *Spiritus*: & *anima*, illa immortalis ^{Animus.} nostri pars, non commodius *signo externo* denotari potuit, quam *ansa ducta ab halitu, & spiratione*: ut apud *Horat. Animæ ventorum*: & *Plaut. Anima olet uxori*. Non alia ratio *Hebræi sermonis*: in quo item $\psi\eta$ *anima*, proprie est *spiratio*; quemadmodum $\kappa\lambda\iota$ est *subtilior flatio*. Confer *Gen. 2: 7.* & senties ne *hominis quidem integri, mortique nondum obnoxii, Spiritum*, alio nomine adfici potuisse, quam quod a *sensibus* esset traductum. ^{Anima.}

Per translationem in *diversum* abit $\nu\sigma$ *animus*, ^{νσ} non jam a *flando*, sed a *pervadendo vel penetrando*. ^{νσ.} Thema est $\nu\epsilon\omega$ *vado*: cujus *Præt. med.* dat $\nu\epsilon\omega\alpha$. Inde $\nu\sigma$, ^{νσ.} Ejus $\nu\sigma\omega$, $\epsilon\nu\sigma\omega$ est *Cogito*; quod *Cogito* a *Coagito* citra ullam controversiam descendit. ^{to.} Nempe *Cogitare* apud *veteres Latinos* erat *colligere, recolligere dispersa*, secundum illud

— *Jupiter cogitat nubes.*

Inde translatio facta ad *animum*, quum, ut *August.* ait *Confess. 10. 11. quæ indisposite memoria continebat quasi colligit &c.*

An jam **חָשַׁב** cogitavit, apud *Hebræos* in Origine idem valuisse, statuendum, ut proprie fuerit *agitavit*, *coagitavit*? Absonum, nisi tendas, quicquid in *secundario usu* omnium *Linguarum*, idem quoque in *primario* convenire, ac consonare. *Coccejus* in *Lexico* τῶ **חָשַׁב** subjicit *putare*; quod item *secundarium*, a *secundo* ortum, ut nemini *Litteratori* ignotum; atque illustri *Gellii* loco demonstratum in *Vindiciis*, pag. 40. Id *Hebræis* potius **פָּלַל** proprie *resecuit*, dein *putavit*, *judicavit*, *secum decidit*.

Putare.

- c. Consimiliter *Metaphoræ* adhibitæ in omnibus *mentis actionibus* designandis.

Consi-
derare.Con-
templa-
ri.Tem-
plum.Intelli-
gere.

Ea dicitur *considerare*, apud *Latinos*, verbo augurali, a *sideribus contemplandis*, ut *Festus* annotat. Vicinæ *Originis* est *contemplari*, a *templo* augurum, i. e. *loco qui ex omni parte adspici potest ad auguria capienda*.

Hinc *Templum* porro pro *loco* & *ædificio sacrato* invaluit: quod ut *Hebræo* **הֵיכַל** rite substituitur pro *secundario usu*, ita absurdissime ejusdem esse *potestatis primæ* contenderetur.

Porro *Intelligere*, palam ab *Inter-legere* secundum antiquam notionem τὴ *legere*, λέγειν, in qua inest *collectio*, & *electio*: unde & *Legere librum*, effluxit: nobis *Aesen!* cujus *Origo* item *Samelen*; de quo alias. An jam colligere licet, verba **חָשַׁב** & **פָּלַל** quibus *intelligendi* vis subjicitur in *Lexicis*, nec a se invicem, nec a *Latino*, quoad *Originem*, quicquam differre? Nemo sanus dixerit; & tamen ita disputant de hisce, quibuscum mihi res est, ac si res illa dubio vacaret, nec præter *intelligendi* vim quic-

quicquam in hisce *Radicibus* posset desiderari.

Ad eandem rationem *percipere, comprehendere, Percipere*, *perpendere, librare, dijudicare, determinare, statuere, decidere,* aliaque vocabula quæ mentis actiones *& alia.* consignant, facile a quovis nunc *intelligentur* atque *discernentur,* nisi *conceptus* ei durior sit, quam ut *talia fundamenta* sibi *inseculpi* patiatur.

- d. Quid jam dicam de *innumero numero vocum, virtutibus, vitiis, affectionibus, relationibus,* aliisque rebus *Vulgus Voces & Ideas confundens,* profunde ignorat, non *primarias esse potestates* earundem, sed tantum *secundarias.* Verbi gratia **gerechtigheit** / & **regtveerdigheit** / directe, & proprie, *justitiam,* ejusque *habitus,* designare credunt pueri, credunt mulierculæ; ut viri idem credant, jam demirari fatis nequeo; & quidem viri, qui se solos *Logicos,* ac *Philosophos* ferunt. *Regtveerdigheit.*

Cæcus sit necesse est, qui non continuo cernat, *Originem* sitam in *recto,* & *ad rectitudinem parato.* At *Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus* ex *Lingua primæva* placuit **צֶדִיק** in *rectitudinem firmus, inflexibilis, rigidus;* qui nunquam ne tantillum quidem a *recto tenore,* ac *rigore justitiæ* discedit.

Sed an *Justitia* etiam *Latinis* jam a *recto tenore* nomen nacta? Neutiquam: quum a *jus,* cujus *Thema unde?* *jubeo, jussi, jussum,* descendat *justus,* indeque *justitia.* Alia iterum *Origo Græca* Vocabuli **δικαιοσύνη**, qui *Aristoteli* quasi **δίκαιο**, quod *equaliter dividat res atque distribuatur.* De eo alias. Quænam nunc *appellatio signantior?* *Latinane,* an *Græca;* an, quod ego quidem *jure contenderim, Belgica?* quæ eadem cum *Hebræa צֶדִיק,* ut *Vind. p. 186.* abunde demonstratum.

- צדק
אמת
Verus
quasi
Nexus.
קשט
חנפה
משפט
ישר
- Illustremus paululum *Originem*, quam nullius unquam cavillatio gradu movebit. Gemella soror צדק *rectitudinis rigida & inflexibilis*, sive *justitia*, apud Hebræos est אמת pro אמתה *Veritas* ab אמן *firmus*, *firmitate gressu præditus fuit*, ut e *Dialecto Arabum* constat. *Verus*, secundum *Voss.* fluxit ab ἐρεῖν *dicere*. Mihi *Verus* est *Nexus*, *connexus*. Nempe *veritas* habet *connexionem*. At Ἀληθεια *Græcis* sic dicta quod *latere nequeat*. Pulchræ ideæ. Eas tamen vincit *Hebraica* illa, quæ *veritatem* appellavit אמת, quod *firmitate stetit*; nec non קשט, quod *rectum habeat pedis rigorem*. Contra *Hypocrisis*, quæ non ὀρθονοδῆ, חנפה dicta, a *flaccida mollitie*, & *inflexione pedis*. Uno vocabulo *Loripedationem* efferre possis. משפט *judicium*, ab *æquitate* nomen traxit, vel dicam clarius ab *æquo*, quatenus opponitur *inæquali*: & שפט *judicavit*, proprie *Hebræis* fuit *æquavit*; ut & apud nos *flegten* / *beflegten* / frequentatur.
- Accedit hisce ישר *rectitudo*, quæ cum צדק *rigore justitiæ* vel conjungitur, vel commutatur nonnunquam. Deut. 9. 7. Non בצדקה ובִישָׁר לבבך *non in rigore justitiæ tuæ, neque in rectitudine cordis tui*. An non צדקה apertissime ibi signat *justitiam* quæ ne tantillum quidem a *rigore legis*, i. e. *æqualissimo* ejus *tenore* defleat, aut remittat? An propterea jam aliis in locis, ubi ea requiritur, *Origo* nostra *justitiam* *Messiae* minuit? Tam parum, quam *Nostrorum* *Rechtbeerdigen* / & *Rechtbeerdig-maken* / passim in hoc negotio. O artes indignas! Eodem modo de ישר *rectitudine* *regthet* / vel
ut

ut Nostri ibidem maluere *opregeheit* / ne tantillum quidem delibatur, sive *inhærentem* velis, sive *imputatam* *restitudinem*, etiamsi a corpore ad animum sit traducta. Qui aliter sentit, in *Metaphysicis* suis *regionibus* oberrans, elinguem reddere cupit hominem, usumque sermonis e vita tollit.

5. Denique *privum* hocce, & *singulare*, quod cunctis *Troporum rationes* *privæ*.
Linguis subest, potissimum ex *Metaphoris*, *Metonymiis*, & *Synecdochis* enascitur, tam *mirabili diversitate*, ut qui hanc *materiam* intelligat, in qualibet *Lingua* admiretur *Hortum* quendam *Naturalem*, in finibus *floribus* & *luminibus* *Orationis* *variegatum*, atque *distinctum*.

a. Ex *Metaphora*, cujus ditio per *Universitatem* *rerum* tenditur, apud *Latinos* *obnubilari* dicitur *vultus*, *animus*; & contra *serenari*, *differenari*. Item *attonari*, ut *ἐμβρονῶμαι*, & *ἐκρονῶμαι*: nec non *siderari ἀστροβολῶμαι*. Id *Hebræis* *שׁוּמַר*, partim pro *attonito stupore* veniens, & quasi *sideratione mentis*; partim pro *vastitate*, quæ & *sideratio* apud *Latinos*.
Meta
pboræ
regnum.
Obnubilari,
attonari,
siderari.

Nescio qui fieri potuerit, ut, quum talia in omnibus *Linguis* agnoscantur *Metaphorica*, in *Lexicis* *Hebræicis* ponantur tanquam *propria* ac *primigenia*. Id nihil aliud, quam *splendidissima* *Orationis* *insignia*, & *ornamenta*, *Sacris* *Scripturis* detractum ire, cum *Cl. Driessenio*, *Systematis* *Metaphysici* *Defensore*; qui *הַבְּלִיג* a me *pristino splendore* restitutum ope *Arabum*, & cum *dignitate pulcherrime* *Metaphoræ* applicitum *Job. 9: 27. missum* *faciam vultum meum*, & *renidebo* *Serenus*; &c. &c. nunquam tam *infeliciter* impetiisset, nisi *Metaphysica* *Viri* ejus *Rhetoricam* quodammodo absorpsisset.

Eadem ratio aliarum *Radicum*, circa quas discussio nostra versari debuit.

Nil verius; quam quod sæpiusculè dixi, non percipi satis distinctè *principia rerum nostrarum*, profundius sane sita, quam ut omnes illuc se demittere vel possint, vel velint. Qui *salutem*, *σωτηρίαν*, *Zaligkeit* / in Latino, Græco, Belgico fonte *primaria* censet, multum fallitur: *secundaria* sunt, æque ac *incolumitas*, *felicitas*, & alia in eandem vim exeuntia: similiter *miseria*, *ærumna*, *clades*, *calamitas*, *angustia*, quæ omnibus ferme creduntur *primaria*, in *secundario* tantum gradu consistunt. *Angustia* statim in oculos incurrit, ab *angusto* ducta, quod ab *angere*, *Benauwen*. An jam satis peritus fuerit iudex *Linguae patriæ*, qui nostrum *Benauwtheit* / statuatur *primarium*, citra *Metaphoram*? An quicquam inde *vernaculæ* nostræ decedit, quod a *Paulo* deducatur significatio *omnem miseriam*, *temporalem*, & *æternam*, ferens. An non idem obtinet in *הרף* *angustia*, a *רף* *arctavit*? Cur ergo *לשון*, *Laxitas*, negatur *salutem temporalem* & *æternam* satis commode exprimere? & cur illa *idea* impugnatur, quam cum simili *Metaphora* concelebramus sub vocabulis *Verlofsfinge* / & *Verlosser* / a *לשון* haud dubie derivatis. *Calamitas*, *clades*, *ærumna*, *miseria*, aliaque *synonyma* alias expedientur; nec non *σωτηρίαν*, *σωτήρ*, *σωτήρια*; *servator*, *salvator*, *salus*; *felicitas*, *beatitudo*, *sospitas*, *incolumitas*, &c. quæ tam parum *primigenia*, quam *Ramus* ipsam constituit *Radicem*.

δ. Latissime quoque patet Regnum *Metonymiarum*; quæ in omnibus *Linguis* existunt inter ea quæ *naturali*

Salus
Σωτη-
ρία.
&c &c.
sunt no-
tiones
secun-
dariae.

Be-
nauw-
theit
pro
ramp-
zalig-
heit
secun-
darium.

Verlof-
finge
Verlof-
fer se-
cunda-
riae no-
tiones.

Meto-
nymia
nitio.

urali quodam vinculo connexa; ut *causa & effectus*; itemque *subjectum & adjunctum*. Hæc permutat *Metonymia*, & cum *gratia*, ac *luce*, *transnominat*.

Talia sunt *pallescere*, pro *timere*; & *impallescere* Palle-
charis, pro *incumbere cum cura*. Item *Tabescere* pro re, Ta-
desiderare vehementius: vel *discrucari*, *angi*, *mæro-*
re consumi. Iterum *Livere*, *Livescere*, pro *Invidere*; Livere.
 ut *Livor* proprie *color lividus*, pro *invidia*, vel potius Invidia
invidentia, nemini ignotum. An non hæc, ab invidendo
 & talia infinita, incredibile decus & pondus dicta.
 sermoni *Latino* adstituunt? Eadem res in *Lingua*
Græca, ubi *ἄχρειαν*, *τήκεσθ*, *πελιῶσθ* &c. eodem ἄχρειαν.
 modo traducuntur. Admirationem tales *Tropi* mo- τηκεσθ.
 verunt olim, movent & nunc *Eruditis*, *Veterum*
Scripta volentibus. Vide jam *convenientiam Lin-*
guæ Hebrææ, & simul quandam *disconvenientiam*
 ad *affectum* ex *effectu* tranominandum.

Verbum *תָּבַח* in *Lexicis* ultra *secundarias* notio- תָּבַח
 nes non innotuit; quæ sunt *agitare*, *quassare*, Tabesce-
tere, *terrere*, *vexare*, *turbare*. Horum *primarium*
 est *τήκεν*, *tabefacere*; ut demonstratum in *Origini-*
bus: & *Vindiciis* earundem, p. 78. Hoc qui ne-
 gant, nesciunt profecto quid negent, & cur ne-
 gent; nec enim ipsis quicquam decedit, & *Sacris*
Scripturis insignitum *tropi* lumen accedit.

Verbum semel tantum occurrens est *כָּמַח* *Pf.* כָּמַח
 63: 2. apud *Buxt.* est *desideravit*. Addidit *Stoc-* Luwej-
kius, & *quidem vehementer*, ut *caro quasi nostra*
arescat. Sic *primarium* esset *Arescere*. At *Coccejo*
Contabescere, quod verius; nam apud *Arabes* *س*
 signat *luridum colorem*. Sic ergo se habet *processus*,
 Lu-

Lurescere, tabescere; desiderare vehementius, ita ut præ eo intabescas, & lurescas.

Paulo mollius est verbum כִּסַּף item in *Lexicis* tantum *secundario* significatu notum *desiderandi, appetendi*. Ejus *primaria* potestas est *palescere, impalescere*: indeque כִּסָּף *argentum* dictum, quod *pallido* sit colore; ut אֶזְרָב *aurum*, a *fulvo* colore nomen traxit.

Ad *Livorem* sive *invidentiam* quod attinet, eam non a *Livido*, sed a *Rubido* potius colore, *flammeoque* motu, denomiatum voluere Veteres nostri, quum eam קִנְיָהּ appellitarunt: nam *Radix* קִנְיָהּ in *Origine* valet *rubuit*. Consonat ferme Ζηλοτύπια *Zelotypia*, quæ venuste & graviter pingit *Cor* ac *Vultum* Ζήλω Ζelo i. e. *scrvidiore motu ictum*: a Ζέω *ferveo, bullio, effervesco*. Hæc ratio est, cur etiam *in bonam* se dare queat, & *flagrantem* signet *affectum semet, aliosque, ab injuria defendendi*: prout Deus ipse sese קִנְיָהּ *Zelotypum* vocat, ob *fervorem sanctissimum* quo *Majestatem* suam minui non patitur.

Si jam talia non faciunt ad *dignitatem, & virtutes interiores* Ling. *Hebr.* clariore in die collocandum, atque *criminationibus* quorundam *Criticorum*, qui eam rudem & *semibarbaram* dicitant, liberandum, nihil in *Literis Humanioribus* unquam vel vidisse me, vel profecisse, quin, quid *Linguae* sint, penitus ignorare, confitebor.

6. In *Synecdochis* non minor *campus*. Est *tropus* qui *nomina totius & partis* cum *decencia commutat*; itemque *genus ac speciem* cum *granditate* convertit. Per hunc factum ut *pecunia* designet *nummos, opes, divi-*

כִּסַּף
palescere.
re.

קִנְיָהּ
rubescere.
re.

Zelotypia.

Zelus

Synecdoches
campus.

divitias, tam constanter, ut *propria* videatur esse *Pecunia*, quam *Synecdochicam* esse omnes sciunt *en-*
ruditi. Eadem ratio *peculii*, & *peculiaris*: nec non *Pecu-*
familia, quæ a *servorum* multitudine orta, etiam *lium*.
liberos, totamque adeo *domum*, & *rem familiarem* *Pecu-*
 comprehendere cæpit. *liaris*.

Notissima profero, & tamen hæc, & ejusdem naturæ infinita alia, non omnibus nota. Nihil etiam propterea cuiquam decedit, si modo non *Jure-Consultum*, aut *Eloquentiæ Professore* se gerat. Sed si de *Originibus Verborum* differens, nesciat tamen *proprium*ne sit, an *improprium*, quum dicimus *familiam*, *familiarem*; & *peculium*, *peculiarem* &c. jam jure meritisimo castigatur, & *imperitiam imprudentia* cumulasse in Orbe *Erudito* censetur.

Confer jam quæ in *Vindiciis* occurrunt, p. 102. ^{נהל}
 103. ubi ^{נחל} *נחל* ^{נחל} per *Synecdochen* etiam com- ^{נחל}
 plectitur *cibationem*. Cl. *Driessen*. impugnans meam
Originem eo nomine quod *potus* non sit *cibus* vide-
 licet, gravem sese probat *Scripturarum Interpre-*
tem, & per *Metaphysicas* suas *Originationes* eo tan-
 dem, vereor, perveniet, ut ^{נחל} *נחל* ^{נחל} *caro*, etiam *Spi-*
ritum in *Primigenio* & *proprio* significatione continere
 cogatur; quandoquidem ad *totum hominem* sæpe
 extenditur: & contra ^{נחל} *נחל* ^{נחל} *anima* item *proprie* ac
primigenie carnem, vel *corpus*, signare tendatur,
 quoniam pro *Hominibus* ipsis passim occurrit.

SECTIUNCULA SECUNDA.

II. *Primo* nostro *Canone* paulo longius deducto, ne ini- *Demon-*
 tia obscura essent, ad *secundum* progredior, qui statuit, *stratio*
secundi
Cha- *Canonis*.

G



Charactorem illum privi, domestici, sui, quod in alias Linguas vix transfundi queat, multo eminentissimum esse in Lingua Hebræa, ejusque Dialectis Chaldaica, Syriaca, Arabica. Neminem id negaturum, certissimum sum. Enascitur hoc ex summa antiquitate, qua hæc Lingua omnes alias antecedit; ex genioque Orbis primi, qui in hisce primævi sermonis Propaginibus, ac Ramis, admirabiliter se exerit.

Lingua primævi potens & dioces. Linguam Primævam, qua Adamus, cum eoque totus Orbis antediluvianus, usus, fuisse uberem, copiosam, divitem, magnis sensibus plenam, multa arguunt. Hic, quia pro studiosis nunc scribo, verbulo tantum tango

1. *Vim & Vigorem recentissimum Naturæ, Divinitus tanto, tamque admirabili dono, auctæ; quale est interiores conceptus, sensusque animi sui, verbis representare, in auresque simul, & mentes, aliorum transfundere.*

2. *Priscorum hominum longævitatem, ad mille ferme annos produci solitam.*

Hanc Lingua amplificandæ, & incredibilem in modum ditandæ, inservire potuisse, nemo inficias ibit.

3. *Eorundem hominum infinitam multitudinem, quæ longè lateque Veterem Orbem implens, unius tamen sermonis usum tenuit.*

4. *Ejusdem Lingua per secula decem & septem ferme continua incrementa, absque ut quicquam ejus Primævum florem honoremque delibare posset.*

Ejus
propago
Hebræa, ab
Hebero sic
dicta.

Hujus Lingua per Noachum conservatæ, novoque Orbi redditæ, propago fecunda est Dialectus Hebræa, secundum Huet. Cler. quin & Guffet. aliosque doctos Viros ab Abrahamo sic dicta, quem Chananæi appellaverint עברי Hebræum, quod trans-Euphratenfis

ad

ad eos accessisset. Mihi receptior sententia verior: ut insinuat in *Instit. Gram.* p. 6. הֶעֱבֵר *Hebraeum* vocatum fuisse *Abrahamum* ab *Hebero* abnepote *Semi*, nihil apud me dubitationis patitur.

Ut hoc jam verissimum, ita non meditatissimum, quod omnium ferme ore fertur, *Hebraeam Linguam* esse *Primævam*: reliquas multo posteriores. Attende modo, & repugnantiam subesse senties. *Hebraeam* quum dicis, ponis *Linguam* ab *Hebero* sic dictam, post diluvium; eandemque appellans *Primævam*, quam ipse *Adamus* usus fuerit, jam *Hebraeam* concipis ante *Heberum*.

Recte vero, inquis, nam *Heberum* ajo *Linguae Primævæ Heredem* fuisse & possessorem, una cum posteritate sua per *Phalegum* & *Abrahamum*.

Idem & ego ajo: tantum abest ut *Linguam Primævam* statuam deperditam. Sed an inde consequitur solum *Heberum* illius *Linguae Antediluvianæ hereditatem* crevisse? Creverunt & *Aramæi* haud dubie. i. e. *Chaldæi*, *Syriæque*. Creverunt alii. Et si vel alii nulli, quod falsissimum, eam crevissent; crevissent utique *Arabes Femanenses*, *Heberi* posteritas per *Joethanem*, *Phalegi* fratrem; natu minorem. Is *Phalegus*, ipso anno *Confusionis* ac *dispersionis Babylonicae* in lucem editus indeque, more Veterum, nomen indeptus, puram sane *Linguam Primævam* a Patre *Hebero* hausit atque ab illa *confusione* intactam. Sed an *Joethanus* post *Phalegum* demum natus, ab eodem parente *Hebero* eandem *Primævam* vel non hausisse, vel *impuram* traxisse dicetur? Id quo tandem colore affirmari queat, non invenio: gemini enim *Fratres*, quin *unam eandemque Linguam* a parente imbiberint, a nemine in dubium revocari potest, nisi qui limpidi-

diffima quæque conturbare pulchrum autumat, atque ingeniosum.

Quod
urgetur
contra
Gussetii
Paralogis-
mum.

Ecquid cernis, ecquid manibus palpas, *Arabes*, quum *Linguam* suam omnibus reliquis *Antiquiorem*, cumque genere humano ortam, jaçtitant, idem juris habere, quod *Hebræos*? Et *Adamum* æque *Arabice* locutum dici posse, quam *Hebraice*? Si prius absurdum statuis, me non dissentiente, cur posterius, quod peræque absurdum, unice tamen verum tendis, indeque Argumentum necis, solidissimum scilicet! quod omnes nostras copias vel solum profligare queat; *Linguam Hebræam esse reliquarum omnium Matrem*, quæ fari non discat a filiabus, i. e. *Dialectis*. Ita Cl. Gussetius; amore *Metaphysici* sui *Systematis* abreptus; estque hæc opinio tam alte insita atque infixata in mentibus, ut me *Majestatem Linguae Hebrææ* minuisse susurrent nonnulli, qui *Arabicam* ejusdem fecerim *Sororem*.

Lingua
primæ-
va non
deper-
dita.

Adjectum a quibusdam abundante mensura caritatis, me *Linguam primævam* eo ipso *deperditam* statuere: atque inde etiam criminatiunculam nescio quam in me conflant.

Sed in
magnis
Diale-
ctis mi-
rabili-
ter con-
servata.

Mirifica enimvero consequentia; *Linguam primævam deperditam* a me statui, quod *Dialectum Hebræam & Arabicam sororio vinculo jugatas* ex ipsa *Historia Mosis* conficiam, ostendamque *Arabes Jemanenses, a Jostano fratre Phalegi oriundos, æque ac Phalegi & Abrahami posteros illius hæreditatem integram atque illibatam crevisse*. Hocine est, *Linguam Primævam abolitam & extinctam*, an sub *fidis* potius *custodibus* conservatam, docere?

Rem omnibus, qui videre volunt, evidentissimam, simpliciter, & breviter, nunc pono.

Ju-

Judicetur hinc, an mihimet parum constem, quod *Arabicam Dialectum* nonnunquam *Hebrææ filiam* vocans ex *Vulgari* illa, quam nunc confuto, opinione, eam ex *Mosis Genealogia* veriore titulo *Sororem* appellarim? Qui hoc rident, cum *Cl. Driessenio*, & studio suos rogant, an *Mater* simul possit esse *Soror*, semet potius rogent, an *Natura* permittat, ut *Propago* sit ipsa *Stirps*; atque *Filia* subito in *Matrem* sui ipsius transformetur.

Sed hæc alias, longius, deductius, enucleatius: quando grandius simul *Paradoxum* adstruetur, *Dialectum Arabicam* in bene multis *antiquissimam Linguae Primæve formam* distinctius retinere, ac repræsentare, quam *Hebræicam*: i. e. *Sororem Minorem Matri*, in quam plurimis, *similiorem* esse quam *Majorem*.

Sentio quid dicam: nihil nimis a me dictum, *Longior* nostra *Via* pervictum dabit.

Colligamus jam summam. *Hebræa Dialectus* est *Filia* & *propago* antiquissimæ, atque copiosissimæ illius *Linguae*, qua totus *Orbis Antediluvianus* per tot secula usus. Eiusdem *Primæve Linguae propagines* atque *genuinæ Filie* sunt *Dialecti Arabica*, & *Aramæa*, quæ in *Chaldaicam* & *Syriacam* iterum divisa. Hi natales omnibus hisce *Dialectis* addunt *Characterem eminentissimum distinctioris* alicujus *genii*, atque *ingenii*, quem nulla alia *Lingua* assequi, nedum exprimere valeat; præsertim ratione *Originum*, id est *Potestatum* illarum *primigeniarum*, unde *secundariæ* *significationes* per *Metaphoras*, *Metonymias*, *Synecdoches*, aliosque *tropos*, *granditatis*, *gravitatis*, *dignitatis* plenos proflexerunt.

SECTIUNCULA TERTIA.

*Evictio
tertii
Canonis.* III. Accedo ad *tertium Canonem*. Omnes *Linguae sub uno Vocabulo unam tantum significationem* Propriam ac *primariam possident*. Grande *Paradoxum* forte apud eos, qui in *Linguis* non adeo firmi, ac subacti. Nihil tamen certius, & cum *Natura* conjunctius. Ni foret, *Lingua* non foret *Lingua*, *Index* atque *Interpres* sensuum interiorum; sed *instrumentum* omnis *confusionis*: & *loquela* non amplius esset excellentissimum *munus summi Numinis*; sed *noxa* quaedam humano generi ad *pœnam*, & *conturbationem* perpetuam, immissa.

*Una
tantum
signifi-
cacio
propria
ac pri-
maria
vinitus
Vocabu-
li.
Exem-
pla in
Capere.*

Exemplis res clarior fiet. *Capere* apud *Latinos* latissime funditur; valet enim sæpe *fallere*, in *errorem inducere*: valet *delectare*: valet *eligere*: valet *discere*: secundum notas formulas loquendi. Adde acervatim ex *Non: Marc: pro-*
pitare: perpeti: tollere; detinere; invenire &c. &c.

Si omnia hæc *propria* essent, & *primaria*, nihil inep-
tius esset, nihil conturbatius, quam *Lingua Latina*. Nunc omnes scimus *unam* esse, & *simplicem proprietatem*, *bat-*
ten; unde superiora illa per *usus secundarios*, varie inflexos, enata.

*Tende-
re.* Iterum *Tendere*, apud *Non: Marc:* exponitur *inhabitare*
tabernacula, insidiari, dirigere, contendere sive *conitti*. Adde,
pugnare, disputare, proficisci, porrigere, offerre, aliasque
potestates, quibus verbum hocce auctum voluere *Lati-*
ni. Pone omnes *Primigenias*, non *Sermonem* habebis, sed
Chaos.

τένω. Libemus & e *Græco* fonte. Nempe *tendo* ab *Æolico*
τένω pro *τένω* fluxit. Id verbi non eisdem tantum signi-
ficationes exerit, sed etiam usurpatur pro *trabere, strin-*
gere, spectare, pertinere. Item *minari; sternere, occidere*
&c.

&c. &c. Dicitur etiam τείνειν βίον tendere vitam, μακρὸν τείνειν ὕπνον longum tendere somnum: μακρὰς τείνειν λόγους longos tendere Sermones; unde absolute apud Soph. in *Ajac.* p. 59. μή τείνε μακρὸν ne tende longum. &c. &c.

Si cuncta hæc non *secundaria* essent, sed *primigenia*; confusissima loquendi *sartagine* laborasset illa Eloquentiæ Nutricula, Græcia, & ne digna quidem esset *Lingua* ista, quæ adspiceretur, nedum ut in *Arce Minervæ* locaretur ab *Eruditis*.

Aliud specimen dabit verbum μίγνυμι, μίγνυω; a μίγω, ^{μιτγαιε} ^{Misce.} ^{re.} quod & μίσγω, *misceo*. Hoc sub *primaria* notione, *secundario* valet. 1. *temperare*, tum simpliciter, ut quum dicimus *miscere pocula*, tum figurate, ut *severitatem comitate miscere*. 2. *turbare*, *confundere*: ut apud *Tacitum*, cuncta sanguine, ferro, flammis *miscere*. Et *Cicer.* *Eas habet conciones, ea miscet & turbat* &c. Item *seditiosis concionibus miscere Remp.* Alio adspectu *Livius*, *Anceps spes & metus miscabant animos*. 3. *misceri* est *accedere*, *adungi*: ut apud *Tacit.* *Misceri partibus Antonii*. Granditer 4. elatum illud *Silii*, L. 4. 744. *Miscere caput cælo* i. e. *insertare*. 5. *Miscere dextras* eleganter pro *jungere* venit, *amicabiliter*. At *hostiliter* 6. *miscere manus*, *miscere acies*, pro *conferere in prælium*. 7. *Honeste*, ut in illo, *Missa Deo mulier*, secundum formulam *Homericam* Φιλότῆν μίγνυω. 8. *Cothurnate Ὀλυμπιάδων φύλλοις ἐλαιῶν μίχθεις Olympicarum foliis olivarum mistus*: i. e. *earum particeps factus, victoriam Olympicam affecutus*: apud *Pindarum*, item ἀξιόδολογίας ἀσῶν μεμίχθαι *Dignus laudibus civium misceri*; i. e. *eisdem consequi, & laudatissimis viris inseri*. Alia adhuc invenies apud *Schmid.* ad *Nem.* 1. *Desino* 9. in illo *Hom. Odyss.* 22. 329. κάρη κοινήσῃ ἐμίχθη *Caput pulvere mixtum est*, i. e. *conspersum, ac contaminatum*. Et *Livii*, L. 9. 38. *Jam gaudium invidia quadam miscbatur* i. e. *contaminabatur*, phrasi *Terentiana*. Ca-

Capiat nunc aliquis omnes has notiones, *temperare; turbare; adjungere; inserere, conserere, concumbere; connectere; conspergere; contaminare; easque secundum proprietatem, & primigeniam vim, hisce verbis inhære, citra Metaphoram, Metonymiam, aliosve tropos, supponat; quid habebit nisi κωρείων, qui omnem elegantiam utriusque Linguae ita commisceat, atque conturbet, ut nihil infulsius excogitari queat.*

Judicium
Magni
Scaligeri.

Solidissime ergo J. C. Scaliger, de *Caus. Ling. Lat. Cap. 193.* „*Fuerunt doctissimi, multarumque literarum Viri, qui, propterea quod multa nimis, variis observationibus comper- ta, scivissent, multa item significatorum monstra uni ei- demque voci designarunt. Quorum opera tantum abest, ut commoda sit, ut maxime etiam Librorum adversetur in- scriptioni. Nam quum specioso titulo de proprietate Ser- monis edidissent, nihil minus quam quod profitebantur, ef- fecere. Unius namque vocis una tantum est significatio propria, ac princeps: ceteræ aut communes, aut accesso- riæ, aut spuria.*

Ejus O-
riginum
Libri.

Addit deinde „*plurima quæ ab illis distorta sunt, a nobis in Libris Originum correctæ fuere.*” Non editi, quod sciam, Libri illi. Utinam fuissent; non tanta nunc *im- moti* hujus principii oblivio *Studium Linguarum* premeret, quod sine eo nunquam condigne excoli atque perpoliri potest.

Uberior
demon-
stratio
seponi-
tur in
aliud
tempus.

Uterius nunc in hoc *Canone* adstruendo non insisto. *Longior* nostra *via* demonstratum dabit, *repugnantiam im- plicare*, ut *proprium*, ac *primigenium*, non simul sit *unum ac simplex*, & quidem *particulare*, non autem, ut *Novi* nostri *Metaphysici Literatores* tendunt, *Universale*; in quod vere competit illud, *Cui lumen ademptum*, quod nuper tam dextre in nos amica manu evibratum.

SECTIUNCULA QUARTA.

IV. Quartus Canon sic habebat. *Eaedem tamen Lingua* Quarti
cum una ista primitiva, ac propria, facundæ in secunda- Canoni-
 nis evi-
 tio.
riis & translatas per Metaphoram, Metonymiam, Synecdo-
chen, Ironiam, aliosve tropos Rhetoricos. Hoc jam *Axi-*
omatis Literarii locum implere, nemo nescit, qui vel pri-
 mis labris *Literas* degustavit. Conducibilius tamen esset
 omnibus *studiosis*, ut præceptis *Rhetoricis* non tantum sub
 ferula insudarent, sed vel maxime tum ea combibere in-
 genuo pectore gestirent, quum in spatia *Academica* emis-
 si, succum *Eruditionis*, & *Eloquentiæ* meracius, ut sic
 dicam, haurire possent: atque ita sibi verum ac solidum
 iudicium comparare de omni *stilo, sacro* simul, ac *profano.*

Rheto-
 rica
 funda-
 menta
 in Aca-
 demiis
 potissi-
 mum
 perco-
 lenda.

Ut nunc se res habet, verendum ne cum pulvere *Scho-*
larum, quem læti excussere, ipsam quoque *definitionem*
Tropi excusserint beni multi, nedum ut distinctius quid
Metaphora sit, quid *Metonymia*, quid *Synecdoche*, quid aliæ
conversiones, fida memoria custodiant: atque in *Auctori-*
bus, quos legunt, observare possint.

Infra *dignitatem* ferme hoc putatur eorum, qui se altio-
 ribus disciplinis devovent, quum tamen nulla disciplina si-
 ne hac luce satis relucere, aut *dignitatem* suam sustinere,
 queat.

Ejus &
 laudabi-
 lis ne-
 glectus.

Si magnum nostrum *G. J. Vossium* legere refugiant, in
 consummatissimo illo *Opere* majore, quod *Institutiones Ora-*
torias inscripsit, a *Quintiliano* saltem non ita in totum ab-
 stineant, ut ne *Librum* quidem *Octavum*, & *Nonum*, in-
 spicere dignentur.

Ex illius *Lib. 8. Cap. 6. pro juvenibus* meis nonnulla ex-
 cerpi ne indignentur quæso *Eruditi*; pro illis enim solis
 me *breviorem* hanc *viam* delineare professus sum.

Breves
 lineæ e
 Quinti-
 liano.

Tropus quid. Tropus, inquit Quintil. est Verbi vel Sermonis a propria significatione in aliam cum virtute immutatio. Vides statim, quicquid Tropicum, eo ipso non posse proprium, ac primum & Primum genium appellari, & valde suaves esse Literatores novos illos Logicos atque Metaphysicos, qui omnes Tropos in Originem simul conflant, per Universalem, & tamen simplicem, pugnat. significationem.

A generali hacce definitione profectus, de Metaphora principe loco sic orditur.

Meta-
phora
descri-
bitur.

„ A. Incipiamus ab eo, qui cum frequentissimus, tum longe pulcherrimus, Translatione dico, quæ Μεταφορὰ Græce dicitur. Quæ quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa, Natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur, tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione, quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat.

Nota
hæc.

Notet imperitior, si forte, lector, proprio lumine nunc poni pro suo, sive domestico; quod vulgo dicimus, suo proprio: alias repugnantia loqueretur Rbetor, Metaphoricum vocans simul, simul proprium.

Meta-
phoræ
utilitas.

Ejus tropi utilitatem ita dein stringit. Copiam sermonis auget permutando, aut mutuando quod non habet: quodque difficillimum est, præstat; ne ulli rei nomen deesse videatur.

Notabilis in primis hæc pericope. „ Transfertur ergo Nomen aut Verbum ex eo loco in quo proprium est, in eum in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est.

Ejus
Causæ
res.

Item & hæc. „ Id facimus aut quia necesse est; aut quia significantius est; aut quia decentius, ut dixi. Omnia hæc ex Cicerone, aliisque, alias longius, enucleatius, illustrius. Nunc teneatur adhuc illa pericope, quæ iterum minus peritum turbare posset. „ Ubi nihil horum præstabit Metaphora, quod transfere-

„ tur

„tur improprium erit.” Nempe *improprium* pro *inconcinno*, minus commodo ibi adhibitum, non autem pro *tropico*, sive *translato*, quippe quod iterum manifestam traheret repugnantiam.

Alte-
rum no-
ta bene.

1. *Necessitatis* specimina porro apponit; quod *rustici* ipsi frequentent *Gemmam* in *vitibus*; quodque *segetes* dicant *stivire*; & *fructus laborare*: nec non quod *durum baminem*, & *asperum omnes*. „Non enim
„proprium erat nomen, inquit, quod daremus his ad-
„fectionibus.

Meta-
phoræ
e neces-
sitate
ductæ.

Cernant hic velim *Metaphysici*, *Linguas tractare* molientes, *adfectiones proprio vocabulo* nullas exprimi; totamque illam *silvam vocum*, quæ talibus subservit, sane quam densissimam in omnibus *Linguis*, ex *Metaphora* progerminasse.

2. Pro *significantiore vocabulo* adducit, *incensum ira*: & *inflammatum cupiditate*; & *lapsum errore*. *Tallium seges lætissima* omnibus iterum in *Linguis*.
3. Ad *decentiam*, & *ornatum*, pertinere ait: *Lumen orationis*; & *claritatem generis*; & *concionum procellas*; & *eloquentiæ flumina*, & *fontem, segetem, materiam gloriæ*.

Meta-
phoræ
ad signi-
ficantiam
inductæ.

Meta-
phoræ
ad de-
centiam

&
orna-
tum

que-
sita.

Adjicit huic classi *metaphorarum* sapiens monitum. *Quædam etiam parum speciosa dictu, per banc explicantur: ut*

*Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitili arvo, & sulcos obliquet inertes.*

Admirabili sane & decentia, & granditate, extulit poëta, quod alias honestiores aures offendisset.

Ostendit deinde, quid *Metaphora* & *similitudo* differant. Nempe *comparatio* est, *quum dico fecisse quid differant.*

quid hominem, ut Leonem, translatio, cum dico de homine, Leo est.

Subli-
mitas
quoque
ex Me-
tapho-
ris com-
paratur.

Expli-
cata
Meta-
phora.

Meta-
phora
vitiosæ.

Subjungit, ex talibus præcipue oriri miram sublimitatem, quum audaci & proxima periculum translatione tolluntur. Sic cum Cl. Burmanno nostro locum hunc legendum, & explicandum, dubitari nequit. Exemplum admirabile, cum duplicata Metaphoræ virtute, ex Virgilio subnexum

Ferrumque armare Veneno.

De Vitiosis etiam Metaphoris nonnulla addit: quales persequere vomicas Reip. Castrata morte Africani Resp. Stercus curiæ Glaucia: nec non illud furibundi vere Furii.

Juppiter kibernas cana nive conspuit Alpes.

Atque in hæc tandem finit. Metaphora aut Vacantem occupare locum debet; aut si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit.

Synec-
do-
ches
natura.
Mucro:
Te-
stum.
Puppis.
Fer-
rum.
Meto-
nymia
Indoles
Ceres
Vulca-
nus & c.

- B. Hinc ita ad Synecdochen defluit Rhetor. „ Idem aliquan-
to pene jam magis de Synecdoche dicam. Nam transla-
tio permovendis animis plerumque, & signandis rebus,
ac sub oculos subjiciendis, reperta est. Hæc, Synecdo-
che, variare sermonem potest, ut ex uno plures intelli-
gamus, parte totum; specie genus; præcedentibus
sequentia; vel contra &c.” Exemplum subserit Mucro-
nis pro gladio, & tecti pro domo; & puppis pro navi;
& abietis, pro tabellis: & ferri, pro gladio &c. &c.
- C. Ad Metonymiam deinceps descendens, quæ sit nomi-
nis pro nomine positio; subjicit Cererem pro frugibus:
Vulcanum pro igne; Martem pro bello. Liberum pro

Vi-

Vino. Item seculum felix; bene moratas urbes &c. Relix seculum. Morata urbis. Devorare hominem.
 Iterum devorare hominem, seculum. *cujus patrimonium confu-*
mas: nec non sacrilegium deprensū potius, quam sa-
crilegum. Iterum, pallentes morbi; pallida mors; tri-
stis senectus; præceps ira; segne otium; hilaris adole-
scencia.

- D. Inde *Antonomastiam* attingit, qua *Romanæ Eloquen-*
tie princeps signat *Ciceronem*; & *eversor Carthaginis ac*
Numantie, *Scipionem &c.* De ea *enucleatius ma-*
ximus noster G. J. Vossius, qui omnino *consulendus*, Pallida mors. &c.
 ad *Antonomastie* regionem *distincte cognoscendam*, Anto-
 ad *Antonomastie* regionem *distincte cognoscendam*. noma-
 E. Hinc *delapsus ad Onomatopœtam*, de ea *pro suis qui-*
dem civibus prudenter monet. „*Ὀνοματοποιία. i. e.*
 „*fictio nominis*, *Græcis inter maximas habita virtutes*, Nec non
 „*nobis vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab* Ono-
 „*iis qui sermonem primi fecerunt, aptantes adfectibus* mato-
 „*Vocem. Nam mugitus, & sibilus, & murmur inde* pœcia.
 „*venerunt. Deinde tanquam consummata sint omnia, ni-*
 „*hil generare audent ipsi, cum multa quotidie ab anti-* Ea Græ-
 „*quis ficta moriantur.*” *Teneatur interim, quod Græcis* cis mi-
 inter *maximas virtutes habitum, id Orientalibus no-* risse
 stris, & *Antiquissimis illis mortalibus*, quorum *Linguam* placuit.
ferutamur, non minus arrisisse; ex eoque fonte miri- Ut &
ficam quandam copiam Verborum emanasse, quæ Orien-
gratiæ, lucis, Emphaseos insignitissimæ palmam ferant. talibus.
 F. Ad *Catachresin* inde *deflectens, eam Abusionem vo-* Cata-
cat, quæ non habentibus nomen suum accommodet. *A* chreis
Metaphora ita *discriminat, ut abusio sit, ubi nomen* inter
defuit, translatio, ubi aliud fuit. *Ita parricida exten-* justos
ditur quoque ad interfectorem matris, fratris, aliorum. Tro-
Pyxides πύξιδες, non e buxo tantum capsulæ, sed etiam pos.
e quavis materia: ut quum aureas pyxides dicimus. Parrici-
 Huc *pertinet Ædificare classes &c.* *Item, pugnare* da.
Pyxis. Ædifi-
care
cal-
classes.

Pugnā-
re calci-
bus.

Digla-
diari
calamis.

De Iro-
nia; Eup-
hemis-
mo,
Alle-
goria,
alias.

calcibus, ensibus &c. Digladiari linguis, calamis &c. aliaque quam plurima de quibus alias; ex Latino, Græco, Hebræo, aliisque fontibus. In aliud quoque tempus rejicio, quæ de Ironia, Euphemismo, Allegoria, reliquisque *inversa* significationis ansis, subnecti possent; & paucula hæc pro præsentis quidem scopo sufficere existimem: inde enim vel studiosis nostris jam luce meridiana clarius constare poterit, nil absurdius esse, quam *novas* illas *Metaphysicas* & *a priori* conceptas *Origines*, quæ usus *secundarios* cum *primariis* perpetuo confundunt, atque in nescio quem Cinnum inconcinnum constant.

SECTIUNCULA QUINTA.

Demon- V. Succinit præcedenti *Quintus* noster *Canon*; ita fo-
stratio *quinti* *Canoni-* nans. *Tanta hæc fecunditas Troporum, ut una princeps*
nis. *& propria potestas sese aliquando ad triginta, sexaginta, cen-*
rum, & ultra, secundarias explicet, haud secus ac stirps ra-
mos ramulosque diffundit.

Exem- Ut quid sibi velit hoc *Paradoxum*, statim percipiatur,
pla præ- rediri modo velim ad ea, quæ superius strinxi de copia
structa *Latini Græcique Sermonis in Verbis miscere, capere, tendere.*
jam.

Adjiciam nunc *glossas* quasdam verbi contendere, apud
Novam *Non. Marc. 1. festinare: ut; proxima litora cursu contendunt*
in Con- *petere. 2. perseverare. 3. intorquere; ut in illo Sisennæ, simul*
tendere- *& tormenta contenduntur: nec non adstringere: ut: Tanto,*
re. *nate, magis contende tenacia vincla. 4. comparare: ut apud*
Cecil. Egone Vitam meam Atticam contendam cum ista rusti-
cana Syra? &c. 5. certare: ut apud Poëtam, aut tecum
malit contendere bello. 6. urgere, instare, instando extorque-
re: ut in illo Cic. ne quid contra æquitatem contendas. 7. di-
rigere: ut Poëta, aërias telum contendit in auras. Item con-
ten-

tendere iter in Italiam : & apud Licinium Macrum , celeri gradu per forum se in Capitolium contendit &c.

Enimvero possunt hæc commodius digeri , quam No- Orientales non *nus* fecit ; satis tamen apparet , quanta ubertas sit *Linguae*. componunt

Ea in *Hebraei* , reliquisque nostris *Dialectis* , tanto abundanti- verba or , quod quum nulla in iis dentur verba *composita* per *præpositiones* , *ab* , *ad* , *ex* , *cum* , *de* , *ex* , *in* , *inter* , *per* , per præ- *re* , *sub* &c. quicquid diversarum notionum inde exoriri positiones.

soleat apud *Græcos* , *Latinosque* , id omne sub *simplicem Ra-* Omnis illa co- *dicem* adscisci debeat ; constructione tamen satis finiente , pi- ac figente , quid significetur . Sic ad *centum* , & ultra , Thema *tralatas potestates* ex facili perveniri posse , quivis sentit .

Hinc illa copia *Arabum* , quam in *Lexicis* adslupent ma *Linguae* illius ignari , eam inexplicabilem esse *Labyrinthum* additur. dicuntantes . Ita *Cl. Guffetium* supra vidimus *Dialectis* nostris Ad

Orientalibus objectare perpetuas *Homonymias* , ex quibus Centum & nulla *certitudo sperari* queat . Nunquam concipere potui , ultra si- quomodo *Viri Doctissimi* a se impetrare possint , ut de *i-* gnificatio- *gnotis* non in *privato* judicent solum , sed etiam in *Publico* facile sententiam ferant . Hoc ab omni prudentia tam se jun- excurrens. ctum , ut nec *publicum* , nec adeo *semet ipsos* satis *revereri*

videantur , qui id committunt . Quid dicet , quæso , Homonymia *Po-* Dialectis no- *steritas* , quum videbit , magna nomina tam fidenter stris a *pro-* Cl. *nunciassse de usu vel abusu Linguae Arabicae* , quam sibi Guff. *vix cognitam* , nedum *perspectam* , ne ipsi quidem *diffite-* objecta. *rentur* . Certe *Cl. Guffetiam* ne *Elementa* quidem tenuisse Depulsa eadem.

satis apparet . *Cl. Driessenius* etiam diligenter valde cura- Guff. *vit* , ne *litterulis Arabicis* imbutus crederetur . Et hi ta- objecta. *men Viri* , aliis meritis *Venerandi* sane , vidente *Orbe* Depulsa eadem. *Erudito* , *Tribunal* conscendunt : indeque adversus *Diale-* *ctos* magnificas sententias promulgant !

Sed revoco me ; in viamque redeo . Sciatur ergo , quod Inde *imperiti* Dialectis illis *judices* tem , vindi- *carpunt* , id vel maxime cum *Antiquita-*

catur
laus
hanc
vulga-
ris.

Nempe
& Ling.
Græca
hinc
lauda-
tur.

tem, tum ubertatem, tum utilitatem inde ad *Dialectos* reli-
quas redundantem, sancire.

An officit gloria & dignitati *Linguae Græcæ*, si ver-
bum βαλλειν, simplex inquam βάλλειν, plus quam *centum*
diversos usus admittat? Eadem ratio verbi ελαύειν. His si
addas significatus ex *compositione* multiformi oriundos, al-
terum tantum facile explere possem. Qui *Græcos fontes*
non e longinquo venerantur, neque e *Lexico* tantum *Scap-
ulæ*, vel & *Stephani*, sapiunt, comperta habent quæ lo-
quor.

Nec non
Latina.

Non minuatur, credo, excellentia *Linguae Latine*, si
verbum *Haurire* plus quam *sexaginta* diversis usibus insigni-
tum dare possim. Qui rite calculos ponere didicit, non dif-
fitebitur, inde & decus, & pondus, *Doctis Linguis* ac-
crescere.

Conferantur specimina in verbis *Haurire*, *carpere*, *strin-
gere*, *mulcere*, aliisque, quæ *Tomus I. Originum*, & *Opus-
culum de Defectibus* longo agmine instruxit. *Hebræas Ra-
dices* non minus *uberes* ac *fecundas* fuisse, quantumvis *Cri-
tici* nonnulli eam valde *inopem* & *angustam* dicebant, nunc
confirmo: alias demonstratum dabo. Verbum ישב
sedit, in *Bibliis* ultra *triginta* possidet significatus. Sub verbo
נפל cecidit, numerum *vicenarium* complevi; *Cap. VI.*
Tom. II. Orig. nec tamen omnes exhausti. נטה *Tendere*
plus quam *viginti* quoque *distinctis* usibus insignitum. נשא
tulit, supra *sexaginta* adscivit. Habeo quæ ulterius ex-
currant. Hæc ubi confidero, asseverare ferme ausim,
Linguam Hebræam nec *Latine*, nec *Græcæ Linguae*, ratio-
ne *opulentia* quicquam concedere, si nempe eam, ut par-
est, in *pristinam* ditionem reponas, & *florentissimam* il-
lam respicias conditionem, quam in *terra Canaanis* tot per
secula tenuit, in gremio *Libertatis* & *felicitatis* omnis
quasi

ישב
plus
quam
triginta
notie-
nes ha-
bet
נפל
נטה
He-
bræa
Ling.
cum
Græca
& La-
tina fa-
cile con-
tendat
hac in
parte.

quasi enutrita. Nil sane copiosius, & in omnem *Eloquentiæ* vim formamque uberius *Psalms Davidis*. Nil *Solomonis Sententiis*, si rite enucleentur, etiam quoad *Linguam*, gravius, medullosius, ponderosius. Nil *Esaiæ* divinius & magnificentius, non tantum ob *Materiam cœlestem*, sed etiam ob *lumina*, & *ornamenta illustria Orationis*, quæ quicquid uspiam a me lectum, inspectumve, præ se dent. Quid dicam de *Jobi* illo celsissimo cothurno, qui omnes *virtutes Tragicas* brevi compendio complet; atque ardentissimos adfectus ardentissimo stilo exæquat.

Talem qui *Linguam* inopem dicit, nescit quid sit copia, nescit quid sit *Eloquentia*. Sed quæ evehor? Pro *Juvenibus* me lineas hæc ducere, exciderat. Ad humilia ergo prævertamur.

SECTIUNCULA SEXTA.

VI. En *Sextum* nostrum *Canonem*. *Inter has secundarias* *Sexti* *notiones nulla sæpe similitudo apparet, nulla concordia: sed contra dissimilitudo, disconvenientia, pugna: quæ tamen nulla esse nec debeat, nec possit, in Lingua bene constituta.*

Quantum, *Exempli gratia*, discrimen inter *Carpere* *officula*, quod est *frui: carpere iter*, quod est *cito trajicere: & carpere dente maledico*, quod est *diffamare?*

Ad Verbum *Haurire* vultum aliquod existet *Chaos*, si *ejus glossas*, id est *usus secundarios* tantum attendamus. *Im- plere; defatigare; confodere; accipere; audire; videre; mer- gere; comburere; dilapidare.* Hæc phrasibus illuminata suis reperies, pag. 138. 139. Tom. I. Orig. Attexui *ibid.* p. 161-164. *Tolerare. Transcurrere. Absorbere. Excoquere. Insidere vel penetrare. Inficere vel tingere. intime sentire. &c. &c.*

Non minorem confusionem *Glossæ* verbi *stringere* offerent. *Percutere; nudare; exerere; decerpere; radere; vul-*

nerare, occupatum tenere; congelare; compendifacere; comprimere; exprimere; decoquere rem familiarem. Celeriter ire. Compingere. Arctare. Atterere. Alligare &c. &c. Hæc in *Opusc. de Defect.* invenies p. 129-138.

Necnon Mulcere. Confimilis implicatio sub verbo *Mulcere*; id *secundario* valet *allevare*; *pacare*; *sedare*; *compescere*; *sopire*; *mitigare*. *Blandiri*. *Recreare*. *Titillare*. *Cudere*. *Domare*. *Plaudere*. *Colaudare*. De his *ibid.* p. 100-112.

Premere. Subtexam adhuc alia nonnulla, ex *Non. Marcel.* Is verbo *premere* has apponit *significationes*, cæco acervo aggestas. *Defodere*; *Claudere*; *insequi* vel *fugare*; *urgere*; *imitti cum pondere*; *refrenare* vel *cobibere*; *tegere*; *excindere* vel *removere*; *occidere*; *adversari*; *calcare*; *deponere*.

Si loca nulla adjecisset, ne intelligerentur quidem omnes hi usus, nedum ut *concordia* satis constaret.

Putare. Iterum verbo *putare* has *Glossas* subjecit. 1. *Colligere*: ut, *putatur ratio cum argentario*. 2. *Purgare*, *rarefacere*; *Georg.* 2. *fungitque putando*. 3. *Aptare* ut *Titin. Fullon.* date *pensam lanam, qui non reddet tempori putatum* (*putatam*) *rele*, *facite ut multetur malo*. 4. *Animo disputare*. *Æn.* 6. *Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam*. Et *Enn. Thy.* *secum cogitat, parat, patat*. 5. *Æstimare*. *Ter.* *Recte putas &c.*

Qui horum significatum *Ordinem* ad *Logicam* & *Metaphysicam* lucem *exputare* & digerere studeret, calculos infelicissime subduxisse, & ineptias meras *putasse* reperiretur.

Maestare. Ad *maestare* hæc congeffit. 1. Est *præcipitare*. *Att.* *Anten.* *Qui aut illorum copias fundam in campo, aut naves uram, aut castra maestabo in mare*. 2. Est *honorare*: *Att.* *Sapientiaque invictæ gratia, atque honoris, Pater, honeste rem maestavit aurea*. 3. Est *immolare* &c. 4. Est *magis augere*: *Virg.* *Maeste nova virtute puer* &c. *Cic.* *Ferunt laudibus, maestant honoribus*. 5. Est, *malo adficere*. *Enn.* *qui illum Dii Deaque*

que magno maclaffint malo. Alia adhuc produxi Cap. III.
Tom. II. Orig. p. 47.

En specimen quoque unum, alterumve, *adjectivæ for-* In adje-
tivo
mæ. Grave 1. Est *gravidum*. 2. Est *plenum*. 3. Est *fecundum ac frugiferum*. 4. Est *ponderosum*. 5. Est *amarum*. Grave.
6. Est *multum valde*. 7. Est *grandævum*. 8. Est *molestum*. 9. Est *nocens*. 10. Est *triste*. 11. Est *forte*.
12. Est *utile*. 13. Est *solidum & firmum*. 14. Est *sapiens*.
15. Est *necessarium*.

Quibus Veterum locis *quindecim classes* hæc instruxerit, apud Eum videri poterit. Addere liceat 16. Est *infirmum*, & *languens*. Liv. 21: 48. *Quamquam gravis ad-* Gravis
pro In-
firmo.
huc vulnere erat. Et 3: 27. *Quibus ætas ad militandum gravior esset &c.* Et 2: 19. *Tarquinius jam ætate & viribus gravior*. Is Apulejo Lib. 2. est *gravior in annis*. *Quin Val. Fl. 1: 296.* ausus absolute *Gravis Æson*, ubi posterior explicatio Cl. nostri *Burm.* haud dubie verior. Hinc *gravitas corporis* apud Cic. *Tusc. 3: 1.* pro *languore*, quod frustra sollicitatum ab Ill. *Bentlejo*: nam *gravitas membrorum* apud *Lucr. L. 3.* consequitur *acrem vini vim*; & *gravitas capitis* apud *Cels. 6: 7. 7.* extat: quin *gravitas mentis* Gravis
pro Di-
vite.
pro *ægrimonia* apud *Senec. Ep. 28.* Vides summos quoque *Criticos* nonnunquam in talibus offendere. 17. *Gravis est Dives*: ut in illo *Plauti*: *Nunquam meis opulentiis ramentâ fies gravior* i. e. ditior, copiosior. Ita quoque poëta *Ecl. 1.*

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Admirabiliter Cic. 2. *Agrar. 26.* *Habet socerum, Virum Optimum, qui tantum agri in illis Reip. tenebris occupavit, quantum concupivit. Huic subvenire vult succumbenti, jam oppresso Sullanis oneribus, gravi, ut liceat illi invidiam deponere, pecuniam condere.* Non intellexit *Lambin*: *oneribus*

gravibus rescribere jubens: sic enim *Gravitas orationis* istius tota periret. Pingit orator socerum *Rulli*, temporis *Sulani* spoliis ita onustum, & agris possessionibusque ditatum, ut succumbat quasi istis oneribus, & gravatus subsidat. Est ergo *Gravis* aculeatissime, more *Ciceroniano*, positum ex *Ancipiti*, & primo signat *Ditatum*, divitiis onustum; secundo *prægravatum* simul invidia, & odio, inde in ipsius caput redundante. Egregie etiam *Plin. Panegy. c. 17. Videor jam cernere non spoliis provinciarum, & extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque Regum catenis triumphum gravem: i. e. onustum & copiosissime instructum.*

Consimili er *βαρὺς Gravis*, est *præda onustus* apud *Polyb. 4: 75. & Plut. in Camil. p. 141. 150. Et βαρὺς ὄλεθρος gravis opulentia* in *Sibyll. 4: 19. Essetque in eandem significationum copiam vestigia relegere; atque Græci sermonis divitias per eisdem, & plures adhuc, usus pandere.*

Non minor ubertas *Hebrææ Linguae* sub כָּבֵד: ut *Gen. 13: 2. Et Abrahamus fuit כָּבֵד מְאֹד Gravis valde pecore, argento, auro &c. At Exod. 17: 12. Graves manus, sunt fessæ, lassatæ. Sic in reliquis; ut nihil hic sit in quo Græcis, Latinisque, concedere necesse habeant Hebræi; si modo istius Linguae divitias vestigare, & educere, condiscat hisce sacris dicata juventus.*

Aliud succurrit specimen in *Lentus*; cujus hæ notiones apud *Nonium. 1. Est tardus. 2. securus. 3. flexuosus. 4. patiens. placidus. 5. facilis. 6. ferax. 7. frigidus. Adde 8. prudens. quatenus nempe opponitur festinanti, & præcipiti: unde apud Cic. Consideratus & lentus. Sed & 9. idem ille lentus signat stupidum: unde lenitudo pro stupore, & tarditate ingenii, se præbet. Infelicem Veterum Interpretem gereret, qui non omnes has glossas in promptu haberet, easdemque pro variis rerum circumstantiis aptare sciret.*

Desino in *Rigidus*. Is *Nonio* 1. *Frigidus*. 2. *Erectus*. Ut & 3. *Durus*. Adjicias 4. *Rectum*, in *rectitudine firmum*: ut *Rigidus*. *Lact. de Opif. Deus hominem ad cœli contemplationem RIGIDUM erexit, bipedemque constituit*. Item: *Nobis datum est RIGIDIS & stantibus cœlum tueri*. Non aliud voluit *Pœta*, in illo *Geor.* 1.

Rigidus homo pro recto.

Et Curvæ rigidum falces formantur in ense.

Non *divitiam* spectari in *rigido ense*, sed *rectitudinem*, sive *rectum tenorem*, patet ex *oppositione curvarum falcium*, quæ utique vulgari illo usu etiam *rigidæ*, e *ferroque fabricatæ*. Hinc 5. *translatio in laudem adscita*: ut apud *Horat.* L. 1. *Serm.* 1.

Æquus virtutis cultor, rigidusque satelles.

Item *Lucan.* 2: 389.

Iustitiæ cultor, rigidique servator honesti.

Nempe *rigoris* vocabulum nihil in se habet *viti*, sed potius *laudabile* aliquid offert: quid enim *culpabile* in *æqualitate rectissima*, & *tenoris servantissima*? Cum *laude* conjunctum fuisse *Veteribus Rigorem*, satis liquet ex illo

Rigidi servator honesti.

Rigor in se bonus.

Triste rigor nimius —

Ut proinde *iustitiam* a *rigore rectitudinis* קָרָא dictam fuisse *Hebræis* tam parum dubitari possit, quam *Regebeerdigheid* a *promptitudine recti* derivari in fonte *Belgico*. Non permittit nunc *viva consuetudo* nostri *Sermonis*, ut *Rechtstevigheit* efferamus; alias *Rege-steenbigh* / vel *steenbigh in* *rege*

Rege-steenbighheit.

regtheic adamuffim קָרִיק *Recto-rigidum* æquaret. Sed hæc *differentia* tam exigua, ut plane nulla sit; nisi quis *Cavillari* amet, & pulverem spargere. Redi ad *aciem* Vocabulorum, *veritatis*, *rectitudinis*, *justitiæ* & *judicii*, קִשָּׁה, אֱמֶת, יֶשֶׁר, צֶדֶק, & מִשְׁפָּט, quam supra pag. 44. instruxi, & ne, si velis quidem, amplius dissentire poteris.

SECTIUNCULA SEPTIMA.

Septimus
Canon
evincitur.

VII. Ad *septimum* progredior *Canonem*. *Harum notionum dissonantium, aut pugnantium, concordia inveniri nequit, certe non demonstrari, nisi præ manibus sit princeps & primaria potestas unde secundariæ istæ effluerunt.*

Exempla
Rigidi.

Res tam clara, tam in illustri collocata, ut vim sibi facere deberet, qui contra ire niteretur. Quis conciliare posset in *Rigido*, ut inde redordiar, *notiones secundarias*, quas modo vidimus *frigidi, erecti, justi*; adde jam *sævi, immitis, inhumani*, si *primariam potestatem Rigoris*, ut alias bene multas *Origines Latinas*, nullus Auctor nobis affervasset? Provocare ausim vel subtilissimos non jam *Metaphysicos*, sed *Mathematicos*, ut *concordiam inveniant*, si ignorent *vim primariam*, inter *Glossas Vocabuli Durus*, quatenus designat. 1. *calamitosum*. 2. *falsum*. 3. *immisericordem*. 4. *Laboriosum*. 5. *patientem*. 6. *Avarum*. 7. *Impudentem*. 8. *Imperitum* atque *Indocilem*. Ecce tam *Divinum ingenium*, ut si nullis in *Libris* compareret *dura flex*, *dura cautes*, tamen omnia illa a *duritie* defluxisse, assequi valeret? Inciderit tamen *forte fortuna* in talem *primigeniam ideam*: ubi *Demonstratio*, & *Evictio*? An enim hæ ipsæ *notiones* non ex aliis quoque fontibus potuissent emanare, ut revera vel *Viginti* alios indicare possum, tam apud *Latinos*, & *Græcos*, quam apud *Hebræos*, *Arabes*, *Aramaeos*; unde eadem omnes æque limpide dimanarint.

Duri.

Con-

Consimilis ratio in vocabulo *Mollis*. Id signat. 1. *Com-Mollis. modum gratumve.* 2. *Dulcem & Jucundum.* 3. *Misericordem.* 4. *Ignavum, & laboris fugientem.* 5. *Impatientem.* 6. *Luxuriosum.* 7. *Verecundum.* 8. *Docilem.* 9. *Elegantem.* 10. *Recentem.* 11. *Opportunum.* 12. *Placidum.* Mitto alias adhuc *significationes*, quas consuetudo *Latina* sub *Molli* trivit; & rogo denuo, ullusne mortalis tantum *acuminis ac luminis* sibi arrogare possit, ut *Origine*, sive *primaria potestate*, quatenus *Duro* opponitur, *absente*, glomus hocce sine confusione, & laceratione ulla, evoluturum se contendat?

Adjungantur his exempla, per quæ superius itum: inde- *Eadem* que colligatur, vix ullum esse *Verbum* in omnium *Lingua-* *ratio* *omni-* *um, quæ* *præmis-* *teriore Harmoniam, & suavissimam contentionem,* penetrari sa- nequeat, si *Origo vetustate*, vel *defectu veterum librorum*, ac fontium, non compareat.

Huc oculos intendo *Orationis Inaugural.* p. 30. ubi *Huc* contra *Cl. Guffet.* ita differo. *Tunc mihi si Livius tan-* *collinea-* *tum superesset,* aut *pars Ciceronis, cum Virgilio si placet:* *tum in* *tunc mihi,* aut *cuiquam sano persuaderes, te absque allo subsi-* *Orat.* *Inau-* *dio externo, ex collatione locorum, ad omnem orationis non sen-* *gur.* *sum soluxi & sententiam, sed vim, sed lumen, sed elegantiam esse enisurum. Vel si hoc jam summi illi Scriptores singulari felicitate dicendi in proclivi fecissent: tunc te nativam sermonis Latini Indolem, verborum notationes, sive Etyma, Vocumque profundas & retrusas Origines pervestigare posse, gloriari auderes?*

Eodem collineant quæ pag. 3. supra jam excerpti. His adjungi velim hæcce, ex pag. 34-37. *Omnes qui quid Humanitas sit sciunt, quid Literæ, ignorare non possunt, omnes Linguas fecundas esse in mutationes, variationes, transformationes.*

nes, quas ipse continuus parit usus, quas longa procudit dies, quasque ipsa scaturigo cujusque Linguae fundit: qua um omnium aquae, & rivuli, i. e. verba singula, & phrasae integræ, non secus ac in fluminibus, multas per flexiones, sinusque, pedetentim a prima ORIGINE ita abeunt, ut fontis sui memoriam eluisse & exuisse videantur. Quod quidem tantum abest ut depravatio aut corruptio Linguae censeatur, ut contra, ea demum perfectissima & elegantissima jure merito audiat, quæ per maximas pertransierit inflexiones (Metaphoras intelligo, cum reliqua supellectile Rhetorica) dummodo puræ sint, atque naturam Originis referant: hinc enim flumen existit & lumen Orationis, hinc summa enitet facundia, dicendique resplendet vis, gravitas, Majestas.

Non potui, non debui, nostrarum Literarum fundamenta, Originumque scopum, ac finem, Erudito Orbi distinctius sub oculos ferre, nisi vanitatis & arrogantiae notari voluisssem.

Doleo interim, quod inde minus ad hæcce principia indubitata vel exercitatis, vel firmis, ansa fuerit relicta, qua rei Hebraicæ, contra eorum intentionem haud dubie, officisse reperiuntur, qui alias studium tam exoptandum in Ecclesia, & Exemplo laudabili, & monitis saluberrimis, lubentissime fancivissent.

SECTIUNCULA OCTAVA.

Octavus Canon. VIII. Cum præcedentibus intime connexus est *Octavus Canon*. Hæc primigenia, princeps, propria, una significatio in omnibus Linguis rarissimi est usus; quum ex adverso secundariæ per Metaphoram, aliosque tropos, multo frequentissimæ sint, & longe ac late regnent.

Probationem subungere vix auderem, adeo res per se lucet, nisi instituti nostri ratio eam nunc deposceret. Paucis

cis tamen perfungar, quia quicquid fere *speciminum* ante adductum, hanc quoque *Theſin* pervincit. Certe *mactare* pro *mola* & *sale* augere *victimam*, quatenus a jugulando secundum *Originem* differt, in ista antiquissima potestate nuspiam obvium, nisi semel iterumve apud antiquissimum *Catonem* de R. R. Latiore adhuc usu apud *Varronem* extat, *Grunnit* lepido lacte satur, *mola mactatus porcus*. i. e. *Mactatus porcus*, *ejusque* pastu lascivians. At *significatio Metonymica*, quæ jugulationem infert, millenis in locis profiat. Consimiliter *Metaphorica* potestas illa, qua *macte* esto virtute dicitur, & *mactare* aliquem *honoribus*, *divitiis*, *bonis omnibus*, tam late se fundit, quam ipsum *Augere*.

Idem planissime observare est in *Synonymo*, *Immolare*, quod secundum *Festum* valet *mola sive farre molito* & *sale hostiam perspersam* sacrare. *Ista primigenia vis* exulat ex *Libris*, in quibus *millies*, *milliesque*, reperies *secundarium* usum *cadendi victimam*; quem *Metonymia* peperit; quemadmodum & per *Metaphoram* inde subsumta potestas *gravioris cadis*, etiam satis frequens, præsertim inclinante jam & cadente *Latinitate*: unde in *Gallicum* Sermonem defluxit illud *immoler*, *immolare iræ suæ*, & infinita talia. Si jam *Gallus* aliquis *Originum Linguae* suæ expers, me albis dentibus rideret, & certissimum *Etymon* vexaret, *Gallice*, ut nuper *Belgice* factum, substituens *ensariner*, *insarinare*, nonne *Eruditis omnibus* ipsemet ludibrium deberet?

Non possum, quin hic inseram quæ *Cl. Perizon.* nolter observavit in *Diatr. de Verbo Cerno*, adjecta notis ad *Min. Sanct.* p. 786. *Frequens est ut verba notent res diversissimas, sed quæ continuo fere nexu coherent, seu per metonymiam notent etiam rem a re primitivæ & propriæ ejus significationis plane diversam, tantum quia illa eam fere semper consequitur: sic immolare & mactare in sacrificiis, proprie significat molam farsam victimæ capiti imponere, & ornare victimam ornamentis*

tis sacris. Verum quia hanc proprie dictam immolationem & maetationem sequebatur continuo cædes victimæ; hinc factum ut verba hæc non modo illam victimæ cædem, sed dein etiam absolute omnem jugulationem & cædem notent &c. &c.

Confutare Verbis porro *confutare & refutare* quid usitatus apud omnes Auctores? quum *primigenia & propria* vis nusquam occurrat, nisi in *Fragm. Titin.* apud *Nonium*: sine quo *Originem* horum Verborum ne summus quidem *Scaliger* unquam vestigare valuisset. Redi ad *Orig. Tom. II. p. 50. §1.* atque inde huc quoque transfer & applica *Callere. Temnere. Taminare. Adipisci*; quæ vel rarissime, vel nusquam, in *primigenio* significato reperiuntur.

Pariliter *inprus*, pro *inhabili, absurdo, solido*, omnem ubique paginam occupat: at *proprietas* quæ adfert *non nexum* nusquam, ne in unico quidem, quod sciam, loco nunc sese offert, cum tanta copia Librorum *Latinorum*.

De *aptus* paulo diversa res est: quamvis enim *secundarius usus* ita regnet, ut *Primarius* eo velut oppressus sit; non tamen plane extinctus fuit; ob *Ennianum* illud,

Cælum stellis ardentibus aptum:

ejusque imitationem *Virgilianam Æn. 4. 481.*

Ubi maximus Atlas

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Adde *Æn. 6. 797. & 11. 202.* Apud *Lucret.* quoque hoc sensu frequens est. Illius sunt, *conjuncta atque uniter apta*; pro *nexa*, nempe *anima cum corpore*. Item, *E quibus uniter apti sumus*, scil. *corpore & anima*. i. e. in *summam unitatem connexi*. Iterum, *terræ radicibus apti*, i. e. *innexi* &c. &c.

Ea-

Eadem vis in pulcherrimo dicto apud Ciceron. non amo for- ^{Fortuna}
 tunam rudentibus aptam i. e. ex rudentibus navium nexam ^{ruden-}
 ac suspensam. Est Caionis, ni fugit memoria, navigatio- ^{tibus}
 nem & mercaturam præ agricolatione temnentis. Ipse Cice- ^{apta.}
 ro ἀεχαισμον non refugit, nam de Fin. 2. sic pulchre locat;
 His tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur, ap-
 tum ex illis tribus. i. e. nexum. concinnatum. Iterum 4. de
 Fin. omnia inter se apta & connexa. Finis sit in illo pro Cæ-
 cin. cap. 18. Non ex verbis aptum pendet jus. Explicent hoc ^{Non ex}
 mihi, quibus nulla *Apri* nota potestas, nisi quam in scho- ^{Verbis}
 lis hausere; & qui, ubi nihil amplius habent quod dicant, <sup>ap-
tium</sup>
 rogare solent, cui tandem bono tam anxie quæsitæ ^{jus.}
Originis? Sed hoc alias, spero, integra Sectione operis, quod jam
 suscepi.

Sub verbo *taxare* nemini non promti, compertique, u- ^{Taxan-}
 sus *Metonymici*, in *estimando* partim, partim in *reprehen-* ^{di Ori}
dendo siti. Hi quoque passim sparsi per Auctores: quo- ^{go ex}
 rum ne unus quidem forte *Originem*, & *primigeniam* ^{usu a-}
propietatem expressit, secundum quam a *Tago*, pro *tango*, ^{bit.}
taxum & *taxum* exiit; unde *taxare* pro *crebro tangere* propa-
 gatam. Quomodo utraque potestas succreverit, docebit
Voss in *Etymol.* voce *Tango*.

Iterum *vexare* a *veho*, *vexi*, *vectum* & *vexum*, proprie est ^{Vexa-}
crebro vehere, *vectare*. Hoc posterius *vim primigeniam* ^{re in}
constanter servavit, unde *vectari equo*, *curru*, *navi* &c. At ^{Origi-}
 prius istoc quidem usu *nuspian* nunc *comparat*; nec *vexa-* ^{ne non}
ri equo, *curru*, *navi*, quicquam aliud in *Libris* signat, quam ^{prostat.}
secundario, *jaçtari*, & *incommodis adfici*.

Hanc notionem tantum imbibent illi *Grammatici*, de ^{Illustre}
 quibus *Gell.* 2. 6. qui *Virgilium* reprehendere ausi, quasi ^{Gellii}
 incuriose & abjecte dixisset de *Scylla*. ^{locus.}

Dulichias vexasse rates.

K 2

Nem-

Nempe putabant *verbum esse leve, & tenuis ac parvi incommodi*, quod tantæ atrocitati parum congrueret, quum homines a bellua immanissima rapti lanatique sint. Cavillam istam ita confutat Gellius: *vexasse grave verbum: factumque ab eo videtur, quod est vehere, in quo inest jam vis quedam alieni arbitrii. Non enim sui potens est, qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu procul dubio vastiore est. Nam qui fertur, & raptatur, atque huc atque illuc distrabitur, is vexari proprie dicitur: sicut taxare pressius crebriusque est quam tangere, unde procul dubio id inclinatum est.*

Vexare etiam in Violentissimis raptationibus venire potest. Subjungit dein docte, & perite: *Non igitur, quia vulgo dici solet vexatum quem esse fumo, aut vento, aut pulvere, propterea debet vis vera atque nativa verbi deperire, quæ a veteribus, qui proprie aut signate loquuti sunt, ita ut deicit conservata est.*

Signatissime certe M. Cato, ut mox addit, *Quum Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* Item Cic. IV. Verr. *Quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, ut non ab hoste aliquo — — sed ut a barbaris prædonibus vexata esse videatur.*

Hactenus Gellius. Subnectam adhuc alia nonnulla, in quibus ad *Originem* allusum esse elucebit. *Lucret. L. 1. 276. 280. de ventis.*

— Mare, terras, nubila cælo
Verrunt, ac subito vexantes turbine raptant

Cic. pro Dom. cap. 2. *Quæ te tanta pœna tuorum scelerum vexat, &c. &c. ?* Iterum pro Font. c. 9. *Ad oraculum oribus terræ vexandum ac spoliandum.* Et in Catilin. 1. 11. *Cum bello vastabitur Italia, vexabuntur Urbes, tellus ardebunt.*

Non satis penetrant in pondus, & decus, talium locorum,

rum, quibus *Primigenia vis Radicis* incognita. Quod si de *profanis* verum, quid tandem de *Sacris Scriptoribus* statuendum? Sed & hoc alias, *Sectione* isti curæ dicanda.

Claudat *Sectiunculam* hanc verbum *Nubere*. Illius *secun-* Nube-
daria & *Metonymica* potestas unice dominatur. Ejus *pri-* re pro
rimigeniam virtutem si quis *Metaphysicus* excogitare vellet a Velare
Priori, meris chimæris seque aliosque pasceret. Jam ex^{olim} fre-
 usu verbi *obnubere* in formula Veteri, *I listor*, colliga ma quens,
nus, *caput obnubito*, *arbori infelici suspendito*, notum, Nu- in de-
bere proprie & *Primario* fuisse *velare*; indeque alteram il-^{suctu-}
 lam vim subsumtam, quia *sponsa flammeo nupta*, i. e. ob-^{dinem}
nupta, *velata*, *domum deducebatur*.

SECTIUNCULA NONA.

IX. Eandem lucem evidentiae, & demonstrationis, se Canon
 cum fert *Nonus Canon*. Adeo verum esse, *secundarias potis-* Nonus
simas notiones dominari in Linguis, ut aliquando *primigenia* adstrui-
vis in magno Auctore, vel & pluribus, ne semel quidem occur-
rat, quum *secundariae potestates omnem paginam obtineant*,
 & *sexcenties recursent*. Quicquid modo congeffi exemplo-
 rum, hanc quoque *Thesin* emunit. En alia adhuc *Causam*
Originum evictura. *Cogitare* quatenus animo per *Metapho-* Cogi-
ram datur, in toto *Cicerone* ne semel quidem illud *corpo-* tare a
reum exerit, quod *Origo* ei inserit a *coagitando*. Non igno-
 rabat tamen certissimam istam derivationem, quippe quam
 ipse alicubi indicavit, iisdem fere verbis, quæ supra ex
Augustino adduxi. Addere nunc liceat *Festum*, *Cogitatio* *Festur-*
dicta velut *Coagitatio*, id est longa ejusdem rei *agitatio in ea-*
dem mora consilii explicandi. Concinit *Varro Lib. 5. de Ling.* Varro.
Lat. Cogitare a cogendo dictum. Mens plura in unum cogit
unde deligere possit. Cave dissonum putes: nam *cogo* con-
tractum ex coago: indeque formulæ *cogere senatum*, *concia-*

nem &c. Cur ergo nusquam cogitare *senatum*, *concionem* &c. ? Quia multa vel non admittuntur in omnem usum; vel & admissa inde excidunt, ac defluunt. Jam vero usus est *Linguarum* Arbitrator, a cujus legibus non desistendum, si intelligi velimus.

Exam- Verbum *examinare*, quum *judicio mentis* datur, *prima-*
nare ab *rium* censetur ab iis, qui id fere *proprium* & *princeps* autu-
Exa- mant quod *precipuum* in usu, *sensuque*: quum tamen pro-
men- cul ullo dubio *secundarium* sit, & *Metaphoricum*: ab *exa-*
nun est *mine* in bilancibus, quod alias *equamentum*, *libramentum*,
prima- *lingua*; *ligula*, *exajum*. Eadem *Metaphorâ* Vernacule
rium. quoque dicimus *oberwegen*; *wikken en wegen*: quod
& *Latinis* placuit in *perpendere*; *pensulare*, *pensulatus* *ex-*
aminare: *trutinare*. Qui dubitare posset, quid prius sit
in nostro *wegen* / *oberwegen* / notio *corporis*, in *ponde-*
rando, an *mentis* in *ponderibus rationum* *librandis* *expenden-*
disve, eum *Linguis* excolendis, & illustrandis, haud natum,
omnes citra ulterius *examen* mecum judicarent. Ut ad
hoc *specimen* tam dilucidum evigilaret, in seque descende-
ret Cl. *Dissertator*, qui de *Originibus Hebraicis* conscripsit,
absque ut vel ideam habeat *Originum* in *Linguis*, roga-
bam *Vind. pag. 178.* ut mihi ederet, quid in *Latino fonte*
esset *Examen peremptorium*. Quid ipsum *Cogitare*, *considera-*
tionem scribere, *disputare*, *dissertare*, *Magnum*, *Iustum*, *Sa-*
pientem virum se gerere.

Qui omnia hæc *secundaria* esse noveram, putabam Cl.
Dissertatorem *Metaphysicis notionibus* suis *præscriptum*, non
clementius, commodiusque, in viam reduci posse, quam
si hæc Verba *examinando*, inciperet sentire etiam *vulga-*
tissimis aliquid profundius plerumque insidere; quod non
nisi à peritis, & longa palæstra subactis, cognoscatur: ac
proinde non fuisse, cur miraretur, quod talibus quoque
accessionem aliquam *lucis* & *gratie* *Originem* nostræ promit-
tant

tant: nedum ut eo nomine imperitorum in me invidiam commoveret.

Non e re sua duxit Vir Doctiss. ad tam minuta se demittere; patiatur ergo nunc unum saltem sibi per me paulo propius admoveri. *Examinare* quin ab *Examen* sit productum, non negabit spero. *Examen* autem proprie id fuisse, quod dixi, percipiat ex *Persii* versiculis: *Sat.*
 I: 5. Origo
Examina-
re, &
Exami-
nis.

— *Non si quid turbida Roma*

Elevet, accedas: examenve improbum in illa

Castiges trutina: nec te quasi veris extra.

Ad hæc *Scholiastes*: *Examen* est lingua, quod mediam hastam ad pondera exæquanda tenet. *Castigare* autem est digito percutere libram, ut temperetur, & præ agitatione post æquum conquiescat. *Trutina* vero est foramen intra quod est lingula: de qua *examinatio* est. i. e. cujus ope *examinatio* conficitur. Iterum *Sat.* 5: 100. malum Medicum taxans.

Diluis belleborum certo compescere puncto

Nescius examen: Vetat hoc natura medendi.

Ubi iterum *Schol.* *Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis & uncis signatur.*

Ab illa *trutina*, *τρύτην*, sic dicta a *τέρω* *terō*, quoniam *Truti-
 τρύτην τῆ βαρῆ ἡ δίσκων* *teritur gravitate ponderum*; propaga-
 tum *τρύτην δὲ* *trutinare*, tum proprie pro in *trutina* librare; πα &
τρύτην
a τέρω
 tum *improprie*: ut apud *Hieron.* in *Ep. ad Pamm.* *Alii ad-
 ducto supercilio grandia verba trutinantes apud mulierculas de
 sacris literis Philosophantur.* Imitatum ex *Persio*, *Sat.* 3:
 82.

At-

Truti-
nari
verba
labello.

Atque exporrecto trutinantur verba labello
Agroti veteris meditantés somnia —

Similiter *Lucian.* t. I. p. 634. ζυγοστατείτω ὡπερ ἐν τρυζάνῃ τὰ γινώσκειν, expendat tanquam in trutina, quæ facta fuere. Et *Demosth.* de *Coron.*, p. 355. Neque istorum exemplo quæ consului vobis ὡπερ ἐστὶ ἐν τρυζάνῃ ῥέπων ἐπὶ τὸ λήμμα συμ-εθελλόμενα tanquam in trutina vergens ad donum consului.

Penfa-
re, I.
librare
Sc.

Eadem ratione *Examen*, ab *exagendo*, quasi *exagimen*, de quo alibi, dedit *examinare*, quod olim usitatissimum pro *pensare*, *expendere*, *librare*, *trutinare* in *balance*, ab ista proprietate ita in usum improprium propendere cœpit, ut pro *primario* a plerisque haberi videatur; quoniam posterior illa vis per *Libros* & *Auctores* regnat, priore rarius

Perem-
torium.

reperiunda. Ad *peremptorium*, quia jam *jocari* nolo cum *Cl. Theologo*, quæstiunculam modo ponam, rogaboque, quid sit *fulmen peremptorium*; quid item *Venenum peremptorium*; & qua tandem *Logica*, ac *Metaphysica*, hæc cum *Examine peremptorio* in concordiam revocari possint, ac debeant, si *perimendi* notio *primigenia* credatur illa *occidendi*, atque *interimendi*, qua recentes nostræ testæ imbui solent?

Plura jam non subfero, quod compendia secter: quodque attendentibus, sinumque modo suum excutientibus iis, qui contradicere amant, vel millena talia ultro sint occurrura.

SECTIUNCULA DECIMA.

Canon
deci-
mus.

Ex hisce etiam clarus, atque dubitationi exemptus, *Decimus Canon*. Quo minor *Copia Librorum* in aliqua *Lingua*, eo *impeditior Vestigatio harum Originum*.

Rumi-
nari.

Verbum *ruminare*, & *ruminari*, eleganter usurpatur sub utraque forma, pro *meditari*, *repetere meditando*, atque in
me-

memoriam revocare. Hinc apud Cic. ad Att. 2. 12. *Ruminatio quotidiana, & cogitatio, conjunguntur.* Varr. *Tanaq.* apud Nonium. *Non modo absens quicquam segnius de te cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Iterum Varr. *Bimarg.* apud eundem. *Odyseam Homeri ruminari incipies.* Item in *Sexag.* *Ruminari antiquitates.* Ex Liv. *Ægist.* idem adduxit, *Nemo hæc vestrum ruminabitur mulieri.*

Ex collatione horum locorum inter se, nemini dubium relinquitur quin *Ruminatio* signet *actionem mentis, memoriam repetentis, & renovantis*: atque hætenus quidem per *Ciceronem & Varronem*, cum *Livio Andronico*, ulterius progredi non datur.

Sed en usum multo diversum *Plinii H. N. 17. 22.* In *Ruminationibus vitium anceps culpa sit præpropere festinationis; si faucias recenti medicina mordeat quædam byemis ruminatio, certum est gemmas earum frigore hebetari.* Ridiculum ibi sensum efficeret *meditatio*, aut *recordatio*; quod si aliis jam *Latinis* fontibus careremus, etiam summis *Philologis* aqua hæreret.

Ad concordiam simul, simul *interiorem* atque *Primariam* *Quid virtutem verbi, præluceat Virgil. Ecl. 6. 54. de Tauro* *proprie ruminare.*

Ilice sub nigra pallentes ruminat berbas.

Id *Servio* est, *revomit, ac denuo consumit.* Est paulo obscurius: si nihil aliud addidisset, parum lucis tulisset. Sed bonum factum quod subjunxit: *Ruminatio autem dicta est a Ruma, eminente gutturis parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus.* Pariliter *Fest.* *Rumen est pars colli quo esca devoratur, unde rumare dicebatur, quod nunc ruminare.* Nempe *Ruma* dedit *rumare*; at *ruminare* est *a rumen.* Sic *Isid. 11. 1.* *Rumen proximum curculioni, quo cibus & potio devoratur.* Hinc *bestiæ quæ cibos revocant, ac*

L

re-

remandunt, ruminare dicuntur. Nunc omnia lucent; & distinctissime liquet. 1. Ruminare esse functionem gutturis revocantis quod necdum bene coctum, ad illud denuo commandendum. 2. Insignite a corpore ad Animum translationem suis factam, quum meditatione jugi aliquid repetit, renovatque in memoria. 3. Insignitissime etiam Plinium per aliam Metaphoram tribuisse hyemi ruminationem, quæ mordeat saucias recenti putatione vites: quatenus nempe novus impetus frigoris mordentis arbores duriuscule quidem, sed non inficete, a Rusticis Romanis vocabatur Ruminatio hyemis.

Videre velim, qui citra Origines Ling. Lat. talia se vel conciliare, vel enucleare, per Logicam atque Metaphysicam suam posse gloriatur. Si in Latinis, si in Græcis, si in aliis Linguis, id omnem superat absurditatem, cur in Hebræa tractanda minus absolum censeretur, edoceri discipulo.

Inculcandi
secundarii
us.

Utar alio adhuc specimine, quod suggerit verbum inculcare: cujus notio illa vulgatissima docere, dicendo vel docendo imprimere, apud optimos Auctores passim prostat. Ejus tam lata, tam leta, ditio, ut a paucis eorum, qui Latine scribunt, & loquuntur, alia unquam potestas adhibeatur. Pone casum, unum tantum alterumve Librum Latinum præ manibus esse, ubi extra illam significationem nunquam occurrat; an inde, etiamsi vel trecenta exempla in promptu essent, genuinam vim atque Originem exsculpere dabitur? Nemo materix intelligens dixerit. Scilicet est usus improprius, ductus a proprio illo, quem simplex calcare offert; quod est calcem premere. Inde Inculcare est aliquid calcando imprimere, & inficere. Proxime ad Originem hanc certissimam Colum. 2. 20. Area molari lapide condensetur, & rursus subjectis paleis inculcetur. Iterum L. 1. 6. Pavimenta testacea magna vi paviculis inculcantur, & ex-

Ejusdem
primarius

poliuntur. Et Lib. II. 3. *semen quum obrutum est, diligenter inculcatur pavicula, vel cylindro.*

Apparet, *inculcare alicui doctrinam, mandata, graviter & pulchre traductum, ut altius ea impressa, atque infixa, significetur.*

Non solidissimus tamen foret interpres *Veterum*, qui alias adhuc *Metaphoras*, ex hac *Origine* adscitas, ignoraret.

Exquisitum illud *Cicer. Orat. C. 15. De firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora. i. e. in medio inseret, vel inserciet.* Item *C. 56. Magnam partem ex jambis nostra constat Oratio: inculcamus autem per imprudentiam sepe etiam minus usitato, sed tamen versus.* Iterum *C. 60. Apud Asiaticos, numero inservientes, inculcata reperies inania quedam verba, quasi complementa numerorum. i. e. inserta, inserta, insulta.* **Scroywooden.**

Electissimum quoque hocce *Bruti, ep. 16. Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quæ ne traditam quidem atque inculcatam libertatem recipere possit? Valet obrusam quasi, ac vi ingestam: secundum illud Senecæ de V. B. cap. 24. Quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo. Scilicet & offa inculcari invito dicebatur: unde facetissime de Græculis sui temporis Cicero, de Orat. 2. 5. Qui se inculcant auribus nostris.*

Si tales *Lingue Latine, Græcæ*, aliarum elegantias, una cum *Origine*, non unus, non duo Libri forte, vel legendo contriti pandere valeant: si etiam nihil horum per *Logicam ac Metaphysicam* potentissimam a priori, i. e. citra Libros, possit attingi, scire velim, qui factum sit, ut ista *Philosophiæ* pars in *Lingua Hebræam* tantum juris sibi potuerit comparare, per quod ex sola *locorum Biblicorum collatione* omnem illam *Lucem* promittat, quæ non *secundarias* solum, sed etiam *primarias virtutes omnium Radicum Hebraicarum* præbeat introspectiendas?

SECTIUNCULA UNDECIMA.

Canon
undeci-
mus.

XI. Ad Arcem causæ deventum, quam *Undecimus Canon* non exponit. *Si unus tantum Codex ex aliqua Lingua supersit, per rei Naturam fieri nequit ut in eo Codice plerarumque vocum Origines contineantur; sed vel nullæ ibi comparebunt, vel multo rarissimæ.*

Quicquid præstructum hætenus, hunc *Canonem* ita firmat, atque emunit, ut mihi quidem *Axiomatis* vim habere semper visum fuerit; & supervacua propterea in *Orbe Literato* duxerim liquidissimæ veritatis evictionem. Ne nunc quidem ea necessaria, nam *Axiomata* sua luce feriunt, & convincunt, si modo ea removeantur quæ radiis aditum præcludunt. Id ergo in præsentī potius agendum. Sæpe dixi, idemque nunc repeto, vel non intelligitur status controversiæ; vel male fausto Zelo obscuratur.

Placide
& Cle-
menter
adum-
bratum
Cl.
Differ-
tatore.

Vindiciæ nostræ id omni pagina arguunt. Nisi duo hæc concurrissent in iis, quibuscum mihi contentio, omnis ille jocus, quo *Cl. Driessenii* formidolosissimos ictus lusi, in meum Caput recideret. Qui ridet ut imperitum, qui materiam intelligit, eumque *Sphæram activitatis* egressum adfirmare audet, ipse ridendum se propinat. Qui jocatur, ubi Adversarium vero *Dei Zelo* flagrare videt, indecenter facit, & bonorum meretur reprehensionem. Non pro virtutibus se exceptum queritur noster *Theologus*. Utrumque ergo evincat, & *Materiam* de qua *Dissertationem* conscribere ausus fuit, se intelligere; & vero puroque igne animari. Compendiosissima hæc via victoriæ; & splendidi de *Vindiciis* meis triumphī.

Dum hoc fiat, patiat *Dissertator* animosissimus denuo a me publice confirmari, se nec *Zelum Dei* habere in hac causa, nec ejus fundamenta unquam inspexisse, nedum intellexisse.

Prius & jam patuit; & decursu hujus operis ita in omnium

nium oculis defigetur, ut spes sit etiam *Driesenianos* tandem in se descensuros, atque manifestæ Veritati concessuros.

Posteriorum cum ex præcedentibus, tum ex hac *Thesi* tam clare relucet, ut jam ultro oculos clauderet, qui ex *ignoratione Elenchi* universam hancce litem, & illaudabilem purissimi laboris mei obtrectationem, coortam non agnosceret.

Nempe plerique *secundarias notiones* cum *Primariis* confundunt. E. G. **Regtveerdigh** in vernacula nostra plurimis obversatur ut *Primarium*, quum absque ullo dubio sit *secundarium*, a *recto* & *prompto* descendens.

Inde **Regtveerdigen** est *aliquem justum pronunciare*, ac *declarare judicialiter*, sive *publice* id fiat, sive *privatim*. Qui hunc *proprium* vocant *usum*, non male faciunt, si intelligant illam *proprietaem*, ab *Origine* sane multum diversam, qua vocabula artibus, disciplinis, functionibus, his vel illis potissimum alligari, atque usu publico consecrari solent. Sic *proprie judicis* dicitur *judicare*: & *arbiter*, *arbitrari*: a *ti*. qua *proprietate* paululum deflectitur, quum *arbitrari* ponitur pro *judicare*, & vicissim *judicare* pro *arbitrari*. Tali in opere assignatur, ut nubeculam inde multorum oculis offusam diluamus.

Consimiliter **Regtveerdigmaken** eodem sensu *proprie* in *Justitiam imputatam Christi* convenire, atque ita הַצְרִיק, & דִּמְאֵרֵן, semper usurpari in materia de *Justificatione peccatoris* rectissime a *Theologis* dicitur. Sed si jam contra *Pontificios* disputans cum Cl. *Driesenio*, contenderem hanc *significationem* *judicalem* verborum הַצְרִיק דִּמְאֵרֵן **Regtveerdigmaken** esse *primigeniam potestatem* sive *Originem* istorum verborum, jam *Causam veritatis* eo ipso non parum labefactarem, & *Doctoribus Pontificiis* nuda latera præberem, ad *imperitiam* meam castigandam, qui *primigenium* esse pugnarem, quod sensus communis nemini non *secundarium* esse dicat, & demonstrat.

Regt-
veerdigh
non est
Primi-
genium.

Distin-
ctio ma-
ximè
momen-

Justiti-
care
הַצְרִיק
statuere
Primi-
genium
sum-
mam
arguit
imperitiam.

Eadem res in verbo **הַרְשִׁיעַ** *improbum* egit. Hoc si quis dicat *proprie* venire in actu *judiciali*, quo quis *ut improbus* *condemnatur*, secundum laxiorem usum & *proprie*, quem modo insinuavi, lubentissime id concedam, & locis notissimis *Prov. 17: 15. Deut. 25: 1. adjiciam Job. 9: 20. & 32: 3. & 34: 7.* quæ *sensum* *judiciale*m signantissime quoque exerunt. Sed an jam iste *Actus* *judicialis* in *Hiph.* constituit simul *primigeniam vim* totius *Thematis*, & *Stricte* dictam illam *proprietatem*, quam voco *Originem*? Ne hebetudo quidem ipsa tam hebes fuerit, ut non sentiat sumram absurditatem. Videlicet sic *improbum* *agere* quem, & *talem* *sententia* *judiciali* *declarare*, prius fuisset in *Lingua*, quam ipse *improbus*, **רָשָׁע**, cujus *Radix* **רָשָׁע** *improbus* *fuit*, *injuste* *egit*, istam *secundariam* potestatem ut *Mercerus*, alique docuerunt, induit a *primaria*, *turbulentum* *esse*; quod *improbus* *semper* *cupiditatibus* *suis* *jaçtatus* *vitam* *agat* *turbulentam*, *maris* *instar* *cœnum* *ac* *lutum* *ejiciens*; ut pulchre, cum allusione ad *Originem*, *Esaías* *cap. 57: 20.* Scio *Cl. Guffetium* *stabilitam* *Originem* *rejecisse*, & *primarium* *significatum* & **רָשָׁע** *fecisse* *injustus* *fuit*: unde **הַרְשִׁיעַ** *injustum* *fecit*, *sive* *condemnavit*, & *consequenter*, *inquietavit*, quia *condemnationem* *sequitur* *amissio* *quietis*: sed quid, quæso, tali *Metaphysica* *Originatione* *repugnantius*, & *abhorrentius*? An *injustum*, **onvegtveerdigh** / quod *compositionem* *suam* *aperte* *præfert*, potest esse *primigenium*, *simplex*, *proprium*, & *formale*, i. e. *primam* *quasi* *formam* & *seminalem vim* *efficiens*? Sic etiam *improbus* *apud* *Latinos* *erit* *primigenium* *quid*: nec opus erit ad *probum* *ire*: multo minus *probum*, cum *Festo*, quasi *prohibum* *dictum* *statuere*, quod *semet* *a* *delinquendo* *prohibeat*.

Et Cernis per *novam* & *Metaphysicam* *Methodum*, non **צַדִּיק** *solummodo* *significationem* *constituere* *primigeniam*;

niam; verum etiam *injustum* **וְשָׂרָה**: ad quam legem etiam *Vernacula* illa nostra **Godloos** / & **Ouregtbeerdigh** / non amplius pro *secundariis* erunt habenda, sed *primigenium* jus occupabunt. Quis unquam talia mostella in *Linguis* expectasset? Dicamus, quod res est, nihil *ista* quidem *via* magis esse *avium*, atque ab omni *Vera Literatura* alienum.

Memor interim, me hactenus tantum velitari, cornua **קִרְיָ** aciei non commovebo; sed ex his duobus verbis *Canonem* *nuspian* huncce *Undecimum* communitum dabo. Scilicet *justus fuit* *in sacris* **קִרְיָ** cum diffusissimo illo usu *secundario*, quem *sexcenties* *Primi-* exerit in sacris, ne *semel* quidem *primigenium* suum *significa-* *genio* *si-* *tum* simpliciter offert. Quare? quia nulla fuit occasio eam *significa-* *tu* *pro-* *stat.* adhibendi: quum contra *secundaria* potestas *justitia*, *justi-* *justificandi*, omnem paginam sponte impleat in nostris Fontibus. Multas tamen allusiones ad istam *Originem* ibi occurrere, & jam ostensum in *Originibus*, *Vindicis*que, & ulterius suo tempore ostendetur.

In **וְשָׂרָה** *improbis*, *injustus fuit*, idem ferme observare **וְשָׂרָה** est. *Trecenta* & amplius loca ingerunt *secundarium* usum *etiam* *improbatis*, *impietatis*, & *injustitia*. In *Hiphb.* **וְשָׂרָה** *rari-* *me* *et-* *dem* *of-* *fert.* satis crebrum pro *improbe* agere; *improbiter* exercere: ut *Pf.* 106: 6. *Neb.* 9: 33. *Dan.* 12: 10. &c. *Rectissime* *ibi* *Belgica* nostra dat, **Godlooslyk handelen**. Si dedis- *Doctif.* *Belga-* *rum* *sa-* *piens* *institu-* *tum.* sent, **Ourestigh handelen** / **Woelende handelen** / peccassent in legitimam consuetudinem *Linguae* patriæ: quia *turbulenti*, **Ourestighe** / **Woelende Menschen** / non eandem nobis ideam suscitât. Aliud nobis est *een Woel-* *geest*, quam *een Godloose*. An *Hebraeis* non licuit *im-* *probum* appellare *een Woelaert* / si *Belgica* nostra *Lingua* non per omnia respondeat. O sapientissimam *Logicam* & *Metaphysicam*, quæ tales præceptiones e *Professoria* *Ca-* *thedra* imperitis auriculis instillat!

Alio

Non vexanda foli- do In- terpreti Ori- gines. Alio adhuc usu **עִוְוִי** in *Hiphb.* frequentatur pro im- probum facere, agere; i. e. condemnare in iusticio; ut supra visum. Hunc *Doct. Belgæ* iterum prudenter converte- runt, **Verdoemen**. Si dedissent **Godloos maken** / vel & propius ad *Originem*, **vooz een Woelgeest verklaren** / gravissime offendissent in leges *boni Interpretis*, qui nun- quam *Origines* debet vexare, sed *Vernacule* suæ genio servire.

Hinc factum, ut ad omnem ferme verficulum submo- neant de *Hebraïsmis*, & *Græcismis*, qui in *Versionem* trans- fundi non potuere, nec sane debuere.

Notabi- le speci- men. Ut illustri specimine rem conficiam: *Prov. 17. 15.* ita ad *Originem* converti deberet. **Wie den Woelaert regt- stevigh verklært / en den Regt-stevigen een Woelaert verklært / zyn den Heere een grouwel.** Tantum ta- men abest, ut laudarem id genus *interpretanti contentio- sissimum*, quod *Aquila* inter *Veteres* arrisisse scimus, ut nihil ineptius, putidiusque, pronunciare auserim.

Si ulla alicui cura *Linguae Vernacule*, & *publici reveren- tia*, locus ille ita, a l sum num, exprimentus: **Wie den Onrustigen Godlose Regtveerdigh verklært: en den Regtveerdigen een onrustige Godlose verklært / zyn den Heere een Grouwel.** Ego tamen istud *Onrustigen* ne sic quidem admitterem in textum, sed simpliciter *god- lose* reddens, *Etymologiae Hebraicæ* rationem notis refer- varem: ut & *Regtveerdigh* proprie *Hebræis* esse *Regt- stevigh* i. e. *stevigh in Regtheit* / ibidem insinuarem.

Prudensne jam, an imprudens, ab his meis *Origini- bus*, & *ideis genuinis*, deflexit *Cl. Theologus*, quum hanc mihi *Versionem* ad *Prov. 17. 15.* impingit? **Wie den ge- strengen doet geschuddet worden dooz ene rustelose beweginge / en den geschuddeden doet gestrenggh wor- den &c.** Nescio: & in mitiorem calculum inclino. Quod- cumque

Comni- feratio- ne di- gnus aliquid.

cumque fuerit, est quod *Sanctum Viri Zelum*, & consummatissimam prudentiam, totum *Belgium* admiretur.

Cum tanta jam copia locorum, ubi *secundaria* hæce potestas *improbi* viget, duo tantum annotantur a Doctissimis Commentatoribus, quæ *primigeniam vim turbidi*, vel *turbulenti*, exerant. Prior est *Job. 34. 29.* *הוּא יִשְׁקִיט וְיִרְשָׁע* *Locus primus ubi ad primariam vim al-*
ille sedabit, quis autem conturbabit. Comprobatum a præcl. *ludi-*
 nostris *Belgis*, datumque; *Als hy stillet / wie sal dan* *tur in*
heroeren? Quid prægnantioris sententiæ ex *Syllepsis* ibi con- *שׁ*
 cipiam; *Commentarius* exponet.

Alter locus est *1 Sam. 14. 47.* *Quocunque arma vertisset, Alter.*
יִרְשָׁע *terrorem incutiebat: conturbabat.* Ita magni inter-
 pretes. *Cl. Cocc. in Lex: dedit, condemnabat i. e. pro im-*
piis vincebat & proterebat hostes. Haud limpidum. *Belge*
 maluerunt, *Deffende hy straffe*; in notis tamen adden-
 tes, *heroerde hysse.*

Duobus hisce adjungendus omnino *tertius* contextus *Job. Tertius.*
3. 17. *שָׁם רִשְׁעִים חָרְלוּ רְגֹו* *ibi in sepulcro turbulenti ces-*
sant a concussione. Exponi solet de *improbis* non amplius
concussione sua alios vexantibus. Sed quum mox eodem *ver-*
su subseratur, *& ibi recumbunt fessi virium*; nemo huma-
 nior negaverit *turbulentos* commodius *passive* nunc sumi pos-
 se, cum *Aben Esra*, & *Nachmanide*, de iis quorum *vita*
continuis miseriarum fluctibus conturbatu, atque concussa. Qui
 hoc in tali monumento, *ferie & scopo sensum istum exi-*
 gente, *improbant*, profunda *Linguarum* non satis comper-
 ta habent.

Adjici quoque posset *quartus* locus *Job. 24. 6.* *Vineam Quar-*
turbulenti vindemiant: i. e. miseris jactari, & turbulentam *tas for-*
vitam degentis inopis. Ambigo tamen, & de istoc sensu *te.*
 ampliare malim, ut in *Commentario* indicatum.

Non tempero, quin subjiciam adhuc *Thema* nulli ferme *Thema*

Proprie
aberra-
vit.

In uno
tantum
loco.

Origi-
nes ple-
rarum-
que Ra-
dicum
in Bi-
bliis
non oc-
currunt.

frequentia exemplorum & evidentia *potestatis secundaria* concedens, **חטא** peccavit; quod apud *Chaldæos*, *Syros*, *Arabes* eodem usu contritum, penes postremos *primario* sonat *erravit*, præsertim *Scopum non feriens*. Si nullum illius usus vestigium in *Sacris* remansisset, difficulter *Originem* tam *limpidam* obtinerem apud eos, qui ultra *Lexica* sua sapere non audent. Sed pulchre cecidit, quod ipsa quoque *Lexica* hanc vim sistant ex uno tantum loco, secundam istam quidem proprietatem, *Jud. 20. 16. Fundajaciens ad cavillum, & non חטא' אפארת, aberrabat a scopo.* Quid si hoc *Exemplum* non extaret, an propterea *Etymon* tanta luce sese commendans ex *Dialecto Arabica* vacillaret?

Hæc *Thesi* huic emuniendæ in præsentem sufficere arbitror; & jam satis elucet, qui fieri potuerit, quin debuerit, ut *Primariæ* notiones, sive *Origines*, plerarumque *Radicum* in *Bibliis* non compareant. Non erit proinde, quod de **שע** *laxus fuit*: **בלג** *nituit*: **המם** *tabefecit*. **חלא** *attritus fuit*. **ננט** *vibravit*. **הכס** *Solidus fuit*. **גדל** *Intortus fuit*, & reliquo illo agmine, adversus *Cl. Dissertatorem* asserto in *Vindiciis*, ullus cuiquam scrupulus relinquatur; eo saltem nomine, quod nulla *Primigeniæ* istius *potentiæ* exempla in ipso *Codice Sacro* occurrant. Si aliud nihil iis obmoveri queat, eo ipso *Origines* tam lucidas, & *Sacrum Textum* tam insignite ornantes, auctoritate *Dialectorum* jure meritissimo restitutas, præsens ætas judicabit, posteritas confirmabit.

Quænam autem sint *Radices* illæ, quarum *Origo* in *Volumine Libri* conservata: & quænam illæ, quarum *secundarius* tantum *significatus* ibidem expressus, *Lexicon* nostrum *Hebraicum*, jam prælo commissum, vitam viresque concedente *Patre Luminum*, distincte declarabit, ut hac ratione

pu-

*Exco-
ptio ab-
surdissi-
ma.* Excipient hic forte novi nostri *Literatores Metaphysici*,
aliam esse conditionem *Codiciis Hebraei*, quippe qui *internis*
radiis reluceat, & *solis instar sibi diem faciat*: non pro
Veritatibus tantum Religionis, sed & pro *Lingua*, pro ipsis
adeo *Originibus*.

*Meteo-
ron Me-
taphysi-
cum.* Quid dixi forte; disertissimis verbis id confirmatum vo-
luit *Theologus Groninganus*. „ *Fateor*, inquit, *non omnes*
„ *Voces, quas Hebraea Lingua olim habuit, in Scriptura*
„ *comparent: sed continentur illae voces & Dictiones quae sus-*
„ *ficiunt ad Divinissimum ejus argumentum Dogmaticum, Mo-*
„ *rale, Historicum, Typicum, Propheticum, Allegoricum*
„ *notitiae nostrae insinuandum planissime, distinctissime, copio-*
„ *sissime, vividissime.* Quid ad luminosissimam *Periodum*
responderim in *Vindiciis*, p. 194. videri poterit. Nunc
*Confu-
tatur.* rogare reverenter liceat *Cl. Theologum*, an non cuncta haec
Elogia, in quibus nihil minuo, aut muto, etiam *Novo Te-*
stamento conveniant? Quis tamen inde unquam intulit, at-
que conclusit, *Novum Testamentum* sibi met sufficere, &
lucem omnem qua indiget praestare, non solum quoad
Veritates, sed etiam quoad *Linguam*, ipsasque adeo pro-
fundissimas *Linguae Originis*?

An non auctoritatem suam suis met manibus eversum
iret *Theologus*, qui hoc tanta cum confidentia urgeret,
ac si *Veritati* ipsi litaret, & *Dei gloriam* mirifice auge-
ret?

*Atiud
meteo-
ron.* Vide interim, quo purissimus contra infelices meas *Ori-*
genes *Zelus Cl. Theologum* evexerit. „ *Quo igitur paucio-*
„ *res sunt voces & dictiones, quae tamen abundantissime suffi-*
„ *ciunt, eo facilius sibi illas familiares reddet Linguae Bibli-*
„ *cae studiosus: in quo agnoscimus non Linguae pauperiem, sed*
„ *Dei benignitatem & sapientiam.* An non eadem omnia
*Repri-
mitur.* iterum quadrant in *Novum Testamentum*? Abjiciantur ergo
in posterum omnes *Graeci Fontes*, & impurissimas suas aquas
sibi

sibi habere jubeantur: quin *Dei sapientiam ac benignitatem agnoscamus*, qui *Theologiæ cultores* tam molesto labore voluerit levatos.

Pergit porro eodem igne in me accensus Cl. *Drieffenius Tertium*
 „ Neque video, si jam superessent Radices & Derivata, quas ^{meteo-}
 „ & quæ Lingua Hebræa habuit omnes & omnia, quid lucis ^{ron. 1}
 „ adferrent uberioris; quæ Lingua per se est plena, in eoque
 „ plane singularis, quod omnis ejus constructio sit Divina,
 „ eundem habens Auctorem Spiritum Sanctum. In illustrem ^{Revin-}
 hanc pericopen nonnulla strinxi *Vindic. p. 195. 196.* ubi ^{citur.}
 submonui omnes hæcæ lineas, sapientiæ *Metaphysicæ &*
Logicæ refertissimas, etiam in N. T. Libros competere.

Non est ergo in posterum, quod ulla constructio vel phra- ^{Meta-}
 sis *Novi Testamenti* ex ullo Auctore profano amplius illustretur. ^{physici}
 Ne *Origines* quidem *Græcæ* extra Fundum illam Sacrum quæ ^{sys-}
 tendæ: nam *Sanior Philosophia* easdem facile eruet, at- ^{temis}
 que sine ulla ope externa in lucem liquidissimam vindica- ^{Laurea}
 bit. ^{lemni-}
^{scata.}

Ecquid cernunt, quibus oculi in fronte, quorsum deveniri
 necesse sit, si *Origines Hebraicas* extra *Codicem V. T.* ve-
 stigandas non esse tendatur?

Si quis dixerit aliam esse rationem *Hebrææ*, aliam *Græcæ*
Lingue, & posterioris *Origines* extra Fundum sacrum
 querere fas esse, sed prioris illas e solis *Visceribus Textus*
 esse exculpendas, doceri velim in quo tanti hujus *discrimi-*
nis Fundamentum consistat: & quomodo fieri possit, ut
Origines, quæ in ipso *Textu sacro* non occurrunt, inde ta-
 men elici queant, atque ad tantam vim demonstrationis,
 quanta in *Linguis* desiderari potest, perduci. Beaverit,
 qui tanto me lumine mactare dignatus erit.

SECTIUNCULA DECIMA TERTIA.

Deci-
mus
tertius
Canon.

XIII. Accedo ad Arcium, quas posui, munimentuum, & propugnaculum; quod *Decimus tertius Canon* efficit. *Secundariæ notiones, quæ per Metaphoras, Metonymias, Synecdochas, aliosque Tropos, efflorescunt in omnibus Linguis, adeo liberæ, solutæ, arbitrariæ sunt, ut a priori nullo ingenio humano, nullo judicio Critico, nulla etiam Logica aut Metaphysica vel sublimissima inveniri queant: sed a posteriori demum reperiuntur; i. e. per Originem patescunt atque nativa gratia ac luce sese insinuant.*

Dedita opera *Canonem* huncce intra hos fines ac cancellos conclusi, ut *Axiomatis* vim obtineret, & ne umbra quidem dubitationis cuiquam in tam *dilucida Veritate* sese suffundere posset.

Denomina-
tionem
rerum
liberrime.

Qui tamen in *Literarum & Linguarum* adyta admissi, probe callent, *nullam omnino dari denominationem*, cujuscunque tandem naturæ fuerit, *corporeæ, incorporeæ*, quæ non ex *liberrimo arbitrio, consensuque* simul hominum inter se, *Originem* ducat.

Vera
Logica,
&
Philosophia,
a me
stat.

Ne in *Logica* quidem, ac *saniore Philosophia*, valde mihi firmus videretur, qui in hocce evidentissimum principium non consentiret.

Quia tamen hæc jam discussio gravior, quam ut in *Breviorem* hancce *Viam* intrare queat, eam *Longiori* seponere, ac deputare, liceat: & maneamus modo intra ea *cráµµατá*, quæ nemo transilire, vel si velit, possit.

Nullus
tropus
naturalem
habet
necessitatem.

Qui *Metaphoram, Metonymiam, Synecdochem*, alium quemcumque *tropum* dicit, planissime aliquid *liberum* dicit; quod non *naturali necessitate* in *Linguis* enascatur, sed *natura Radicis* invitante inde *solutius efflorescat* per præstantium ingeniorum jucundas, & consensione publica confirmatas, inventiones.

Ha-

Harum jam *Metaphorarum*, *Metonymiarum*, *Synecdocharum*, aliarumque *figurationum* rationem, qui, *Origine & primigenia potestate Radicis* latitante, se per *Logicam* ac *Metaphysicam* eruere, ac firmiter constituere posse, gloriatur, similis mihi videtur *Philosopho* illi *Germano*, qui se *Centrum Naturæ* inspectasse, atque ad *Auroram* tuam tenebricosissimam in *primordia rerum* penetrasse jactabat.

Ridiculae
Gloriationes.

Hoc adversus *Viros*, si opus fuerit, alibi latius, & enucleatius. Nunc juvenibus meis specimina tantum nonnulla apponam, ut inde universum genus, infinite fufum, condiscant.

8. *Metaphora Latina* adscivit *Callere artem*, & *Callere in arte*, pro *in ea* vel *quoad eam*, *Tritum & subactum esse* quotidiano exercitio, quin *firmatum ita*, *duratumque*, ut *manus callo obducta indurefcit ex perpetuo labore*.

Ad metapho-
ras non
nisi a
posteriori
adscenditur.

Qui tam insignitam *Metaphoram* se sola *Logica*, & *Metaphysica*, assequi posse contenderet, etiamsi *Originem* ignoraret, & nunquam quicquam de *Callo*, ac *primaria potestate Callendi in Corporibus* ex lectione *Veterum Librorum* percepisset, quo tandem loco in orbe *Literato* locandus videretur? similis ratio in *Confutare dolores*; *confutare argumenta*, & reliquis illis, quæ *Originibus* interspersi.

Callere.

Ne recocta apponam, en recentem missum. *Stomachari* apta translatione signat *indignationem cum tedio fastidioque conjunctam*; ansa sumta a *concussione ventriculi* &c. Hinc *Terentianum* illud in *Eun. Id adveniens Stomachabar modo*. Cum allusione ad *Originem Cic. pro Plane. cap. 27. Stomachans fastidiose*. Aufus etiam orator *Stomachosus* figurare *litteras*, & *Stomachosus* rescribere. Pone jam casum, (qualis, propter arctiores cancellos *sacratissimi Codicis*, omni pagina existit in *textu Hebræo*) ut nesciatur, quid *Stomachus* fuerit in *consuetudine Latina*, tum *proprie* pro *Ventriculo*, tum *improprie*, pro *tedio*, *fastidioque*, ecquid fieri

Stomachari.

Stomachosus
littere.

po-

poterit per Naturam rei, ut quisquam mortalis hanc *Originem* vel attingat suspicando? nedum ut eam tanquam dubio vacuam venditare sustineat.

Jugulare
re vi-
num, cu-
ras.

Jugulare vinum, liberior est, nec tamen invenusta *Metaphora*, pro *aqua diluere* atque ita ejus *vim infringere*. Summus noster *Logicus & Metaphysicus Groninganus* ridens me, meosque *Arabes*, quod dicant *vini caput contundere* vel *diffringere*, pro *vim ejus temperare*, ridebit quoque *Veteres*, qui *vinum jugularunt*: ridebit *Martialem* in illo facietiore,

Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam.

Hæc refer ad *Vind.* p. 126. Ponamus iterum, ignorari quid sit *jugulum*; & quænam *proprietas* & *jugulare*, ecquid fieri poterit ut vel subtilissimo acumine ad *ORIGINEM* istam penetretur? Nemo dixerit, cui aliqua famæ cura.

Flagel-
lare
anno-
nam.

Liberrima iterum tralatio, *Flagellare annonam*; qua usus *Plin. Lib. 33. 13. pretia alia aliis in locis, & mutari singulis annis solita, prout aut navigationes constiterint, aut prævalens aliquis maniceps annonam flagellet.* Vim & pulchritudinem locutionis aperiet *Græcum* *μαστίγειν* *flagellare*, pro *incitare ad cursum*; *animare*, ut vulgo dicimus. Sic apud Poëtas, *Leo verberare caudæ flagellat iras*, pro *accendit*, &c.

Eadem fere elegancia nos possemus, **den moedt opzweepen**: nec non **het koozn zweepen**.

Ecquis jam ignarus quid nobis **zweep** / quid in *Latino* fonte *Flagellum*, unquam ulla *Logices* suæ subtilitate illuc escendet, quo novi *Literatores Metaphysici* se escendere posse dicunt?

Cande-
facere
anno-
nam.

Pro *annonam flagellare* placuit etiam *Romanis Veteribus*, *candefacere*. Fundus mihi *Varro de R. R. 3. 2. Innumerabiles collegiorum cœnæ excandefaciebant annonam macelli*: item; *epulæ innumerabiles nunc incendunt annonam*. Collatores

tores

tores locorum vel centum talibus aucti: non ulterius, credo, procederent, quam *Candefacere annonam*, esse *vehementer augere*, *gravare*: & *Lexico Latino* inferere possent suo jure, *Candefecit*, *incendit*, *Latinis* notasse *majorem in modum auxit*: sed si hoc jam *primigenium* facere vellent, vel saltem in *primigeniam vim* includere quasi; revera semet cum Cl. *Driessenio* eluderent: si autem insuper *asseverarent*, se per *Logicam* & *Metaphysicam* suam detegere posse, quænam sit *Origo* phrasæ, etiam si quid *Candere* valuerit *proprie*, ac *primario*, nullis in *Libris* pareret; jam etiam a studiosis suis deludi velle viderentur.

Hocce genus innumerabilia cuivis vel minima suggeret reflexio. Quando ad *Longiorem cursum* venero, e *Græco* quoque & *Hebræo fonte* exempla promentur; quamvis talia demonstrare, revera quodammodo sit soli facem accendere.

3. Libemus etiam unum, alterumve, ex genere *Metonymico*.

Recurfant hic per quæ supra ivimus omnia *Livere*, & *Livor*, pro *invidia* &c. Livore.
Livor.

Si nullis in *Libris* remansisset *primigenia potestas* in *Colore* sita, nullius unquam acies illuc sese penetraret: & Vanissimus esset, qui tale quid promitteret.

Eadem ratio *Candoris*, & *pectoris candidi*; quod *Metonymiam* habet *Metaphora* mixtam. Da, *Candorem solis*, *Candorem ferri*, *ferrum candens* nuspian prostare, & penitus ex *Libris* exulare; an propterea *Tropus* non erit, vel si fuerit, *a priori* per ullam *Logicam* aut *Metaphysicam* possit indagari. Candor
Candidum
Candidum pectus.

Per *Metonymiam* quoque *Candidum caput* æque ac *Album*, aut *Canum*, pingit *senectutem*: & *Cani crines*, quin absolute *Cani*, ut *Canities*, *senium* signant. Candidumcaput.

Consimiliter *שיבה* *Hebræis* pro *Senectute* trium. Qui Canties.
per

per istam jam *secundariam notionem* sola vi ingenii sui ad *Originem* ipsam ascendere se posse dicitur, nec orbem *Eruditum*, nec se curat: & plane quid dicat, nescit.

Ad hæc si attendisset Cl. nolter *Driessenius*, nunquam contra *Origines Verborum* קק in mento adfectus fuit: mento pendulo fuit *præ senectute*: & חלל *victus*, *hiatus nudati oris*, vel *corrugatio senilis* *Job. 5. 26.* aciem *Logices* suæ destrinxisset; nec simplicius pronunciaisset, a *Senio* dictam esse *corrugationem*. Eodem jure dixeris *Canum Caput* esse *primario senile*; *secundario autem album*, & *candicans*, quia *senium albedinem & canitiem Capiti* inducit.

Nova
Rhetorica.

Justissima
re-
flexio.

Qui universam illam *aggressionem* Cl. *Theologi*, tanto cum paratu in me factam, ex *oblivione Rhetorices*, ne quid gravius dicam, profectam esse cernebam, non potui, non debui, serio confutare, quæ sponte dilabi sentiet ipse, statim atque oculos aperire volet; quando forte etiam mirabitur, tam clementer a me castigatum, qui tam longe *ultra spheram* sese extulerat: simulque *animo non sane candidissimo* in arenam hancce descenderat.

1. Verbulo quoque *Synecdoche* attingatur. *Tectum* pro *domo* infinita offerunt loca: sed si *Radix tego* intercidisset, nullus *Literator*, cui vel *sensus communis*, ejus *Originem* promitteret: atque *aëreas domos tentare* merito diceret illos, qui eam ex *Logica*, vel *Metaphysica*, exsculptum ire vellent.

Arena
pro Amphitheatro.

Arenam iterum pro *Amphitheatro*, ejusve *cavea*, quis nescit? Inde *Arenarii*, qui in *Arena* depugnabant. Gravi-ter *Tertull.* in *Apolog.* *Nihil nobis cum infania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate Arenæ.* Similiter *Tac.* *Spētacula Gladiatorum idem ille annus habuit — senatoresque illustres per Arenam sædatis sunt.* i. e. *Arenarii depugnarunt.* Hinc *damnari in Arenam* &c.

Pro
Campo
belli.

Per *Metaphoram Metonymiæ* injunctam *Florus* extulit, *Civilis belli arenam: &c. &c.*

Pe-

Ponamus nunc, *Arenæ* significationem propriam & pri-
cipem plane interiisse: neque ullum superesse vestigium in
Libris, unde constet *Amphitheatrum caveam sabulo conspersam*
fuisse: ullusne mortalis tantum sibi arrogabit ut cum re,
quam forte assequetur, *Originem* simul vocis se daturum
confidat? Necdum audita similis jactantia in alio genere
Literarum. Videlicet in *Græcis*, *Latinisque*, flagellum
Criticum tales statim sui memores esse cogeret: in *Hebrai-*
cis liberior campus, & *vacua* quodammodo *arena*; ubi
qui *pulverem* modo concitare valeat, ab imperita multi-
tudine Victor sæpe declaratur.

SECTIUNCULA DECIMA QUARTA.

XIV. Causæ gemina arce, cum suis sibi propugnacu-
lis, ac munimentis, constabilita, levioere brachio reliqua
expedire licebit. *Decimus quartus Canon* ita habebat. *Ut*
Origines Hebrææ in Versionem vernaculam quamcumque trans-
fundi nec debent, nec possunt; ita a sensu communi abhorret,
ead ex Versionibus sive Veterum, sive Receniorum, indagare
velle.

§. En breves nunc tantum stricturas. *Nec debent dico,*
quia quum quælibet *Vernacula, Græca, Latina, Belgica,*
quæcumque alia aliarum gentium, *suum habeat genium, & ita*
ingenium, ei utique serviendum: nisi teque aliosque lude-
re velis. E. G. *עושי* rectissime expressum a *LXX.* per
ούζειν: quia id in *Græca Lingua* potentissimum ad *salutem*
consignandam.

Sed an inde consequitur *עושי* & *ούζειν* habere eandem
nativam indolem, sive Originem? Id adeo *ἀμύχαν*, ut nihil
hebetius; & tamen Cl. noster *Theologus* ita sanctiori Zelo
indulgens, juventuti *Academice* præluceat. *Quare in nati-*
va vocum indole vestiganda camus primum, non in Arabiam,
ne.

sed in Aegyptum. Mirari hic & adorare subit vias Dei. Aegyptus illa &c. Reliqua alibi jam posita; & castigata. In-furrectum tamen denuo a Cl. Antagonista, in Caus. Ling. Hebr. adversus Abusum Arabismi, quem Libelium si pro meritis excipere voluisssem, jam non sale tantum adspargendus, sed penitus defricandus fuisset, quem pro persona duplice quam sustinet, inutilem per me redditum nolim in Academia Patria, cujus me Professoribus favere publica & privata pietas jubet. Prior mea Resutatio Ecclesiae, & Veritati debebatur. Posteriores ut susciperem, non eadem erat Necessitas. Priori quoque parere potuisssem, si modo quid Origines vocare soleant Literatores, distinctius percipere voluissset. Scilicet ne ipsum quidem ὀρίζω omnibus qui Graece callent primarium, sed secundarium, a ὀρίω, in quo inest Origo impulsione, & motionis, per quam ὀρίω integer, sospes, salvus, incolumis, potestate translata vocatus a Graecis is, qui motum retinet. Hinc productum ὀρίζω valet tenere in motu, conservare in vigore agendi, ut sic dicam. Hoc jam ne ipse quidem Theologus noster satis forte, atque nervosum judicaret, pro Hebraica Virtute verbi ישיה, quemadmodum nec vernaculum nostrum Behou-

Quid
Origo
Ἐ ὀρίω
ζω ad-
ferat.

Behou-
der. den / ab Houden / tenendo, retinendo utique translatum, eam virtutem satis cumulate repraesentat. Probo tamen illud Behouden / iis locis applicari, ubi consuetudo Sermonis nostri id non patitur solum, sed etiam exigit. Alibi Verloss-
Verloss-
fer.&c. fen magis quadrat; quo saepissime prael. Belgae nostri usi, proxime ad meam Originem ab elaxatione. Est etiam ubi Hepl geben optimo iudicio dedere; ut ישיה Zafigmaker; Heplant / idem qui Verlosser nobis secundario: qui Primario idem asseveraret, jam ne Linguae Patriae quidem Origines caperet, tantum abest ut Hebraicas pandere valeat. Eadem prudentia, qua Nostri pro locorum circumstantiis verba variarunt, Graeci quoque alibi ἐξαιρέω substituerunt,

tuerunt, alibi *שׁוּב* trahere, extrahere, alibi *אֲרִיב* defendere. Qui hæc primaria putat, nihil in *Literatura* discernit. *Servare*, quo *Vulgatus* utitur, ab *עֲרִיב* trahere translatum esse, in *Vindiciis* submonui. An jam non misere cæcutiret, qui *Hieronymi* auctoritate abutens, contenderet, *עֲרִיב* ergo in *Origine* valuisse traxit?

Servator, servare.

Pudore totus suffundor, atque adeo confundor pœne, quod ad *Elementa* hæcce iterum in publico descendere cogar.

Impetrare scilicet a se potuit magnanimus meus oppugnator, non solum in infausta illa scriptiuncula *Latina*, quam vocat *Causam Ling. Hebr. adversus abusum Arabismi*, sed etiam in infaustiore illa *Belgica*, qua *Veterem & Novum suum Hominem* prænitere voluit, ut *novam Linguam Scripturis* invidis a me obtrudi in vulgus disseminaret.

Credidit se etiam in *עֲרִיב* nostro invenisse, quod vexare, & risu non solum, sed etiam *Stomacho* multorum obruere posset: quippe qui pro *Zaligmaker* ingeram *Kuimmaker*; & pro *Zalig worden* / inducam *Kuimte krygen*. O *nénias, nénias, nénias!* quibus sibi vivus, vidensque, exequias ire voluit *Cl. Theologus*; quem indolueram *Existimationi* suæ tanta vulnera in prima illa aggressionem imposuisse.

Nénias
Viris
indignis.

Si *Origines* quoque *Belgicas* non tam profunde ignoraret, quam *Hebraicas*; sciret nostrum *Zaligh* / & *Zalighheit* / quæ *secundariæ* haud dubie *notiones*, in *Origine* sua multum subsidere infra virtutem *Vocabulorum Kuim* / & *Kuimte*; indeque accidisse, ut etiam *Kamp-zaligh* & *Kamp-Zalighheit* efferamus: ac proinde *Kuim-maker* revera illustrius esse, & potentius, si *Originem* spectes, quam *Zaligmaker* / *Behouder* / *Verlosser* / *Heplant*. Quando tamen publica consuetudo istud *Vocabulum* non adoptavit, ineptissimus interpret merito clueret, qui pro

Origines
Belgicas ne
quidem
attendunt
multi.

Zaligmaker intruderet **Kuimmaker**; & pro **Zaligheit** / **Kuimte**. Sed en locum, ubi Doctiss. *Belgæ*, pro sua pericia, **Kuimte** lubentissime adhibuissent, si jam tum *primigenia* illæc potestas innotuisset: *Pf. 12. 6. אִשְׁתֵּי בַיֶּשֶׁע*
Ik zal in Kuimte setten / pro eo quod nunc expressere, in **Behoudennisse setten**. Non nego commodam satis esse *Versionem*: sed ajo, **Kuimte** jam *secundario*, & *primario* simul propius esse *Voci Originali*: qui enim diceret **Behoudennisse** cum *Hebræo* **שׁוּׁ** etiam in *Origine* conspirare, crassam proderet ignorantiam, & ne *Elementa* quidem *Vernaculæ* suæ intelligere merito judicaretur.

Placuit etiam gravissimo & sapientissimo nostro *Theologo* ridendam propinare *Originem* nominis *Schilo* **שִׁילָה**
Specimen in signo Cando- ris, quo impu- gnor. *Gen. 49. Tranquillator*, quam proposui *pag. 75. tom. II. Orig.* ubi ex *Nativa indole* *Thematis* **שִׁילָה** toto *Capite* *tertio* adstructa, expromo aliquid, quo nil completius uno *Vocabulo* unquam exprimeretur: *Eliquator* i. e. *eliquatissimæ tranquillitatis Restitutor*; *Qui turbata & confusa omnia ad Liquidissimam & defæcatissimam pacem, cum opimitate & opulentia conjunctam revocat. Pectoris sui eliquatissimam sinceritatem pro Causa Lingue Hebr. inspiciendam iterum omnibus dedit Amicissimus Driessenius, sancta adæcoeque sanctissima adversus me arma quatiens, nam pro Eliquator in Latino schediastmate ponit Liguator; & ne lapsum calami putarem, Belgice quoque nil aliud quam Smel- ter expressum: quum, si mihi mea saltem relinquere voluisset, dare utique debuisset, non suppressa nostra enucleatione, Uitsmelter / Uitzuiveraer / die alles wat dooz de zonde heroert en verontreinicht is / wederom sal doozlouteren / et tot de soethe ruste / zede / gelukzaligheit / herstellen.*

Aliud adhuc *ingenuitatis candidissimæ* specimen ad *Prov.*

17: 15. supra pag. 86. vidimus. Reliqua alias expedientur.

Ut rem hanc comparatam video, imprudentiæ absolvi, *Instauratio* pro pientissimo Zelo Cl. Driessenii, vix possent prudentissimi nostri Belgæ, qui quum *proprietas Linguae Hebræe in Vernaculam transfundi non debere* mecum arbitrarentur, omni *Verficulo* monitum voluere Lectorem de *Hebraïsmis*, tum quoad *Originem*, tum quoad *constructionem*, & interiorem *Virtutem Vocum, Phrasumque*, quas nostræ *consuetudini ac proprietati* incredibili solertia attemperare studuerunt.

Idem fecere in *Novo Testamento*; ubi si *Origines Græcas* quis vexare inceptaret adversus *Professorem Linguae Græcæ*, aut eas in *Belgica Versione* exprimendas contenderet, jam non a *Literatis* tantum, sed & *illiteratis* exploderetur, atque *Anticyras* quantocyus navigare juberetur. Nempe

3. *Non possunt*, ut dicebam *secundo*, *Origines Hebræe*, *Secundi membri illustratio.* tam parum quam *Græcæ* scilicet, *ulla Vernacula* in plerisque attingi, nedum ad vivum repræsentari.

Id ex iis, per quæ jam processimus, sole meridiano clarius: quamvis ne antea quidem cuiquam id ignotum; quum vix ulla audiatur *Concio*, in qua non *Textus Originalis nativa virtus*, quæ in *Belgica* nostra exprimi non potuit, per *Singula* quoque *verba* diligentissime soleat enucleari.

SECTIUNCULA DECIMA QUINTA.

XV. Superiori arte connexus *Canon Decimus quintus*. *Canon decimus quintus.* *Quæ Origines ne in Codice quidem Hebræo conservatæ, multo minus adhuc in Versionibus exprimi potuere.* Evidentior iterum *Thesis*, quam ut adstrui debeat. Ejus solum natura, & vis interior, paucis pandenda. *ללך* fulsit, nituit, quinque tantum locis obvium in sacris, nusquam *primariam virtutem*,

tem, quam ex Copia *Dialecti Arabicae* restitui, exerit, sed in *secundario*, & *Metaphorico* partim, partim *Metonymico* usu occurrit. Sensisset si *Rhetorices* suae satis memor fuisset *Cl. Dissertator*. Vide *Vindic.* p. 43—52. Non potuerunt proinde vel *Græcus*, vel *Hieronimus*, vel alii *Veteres* ullo pacto *Originem* quæ penitus interciderat, atque in oblivionem missa erat, repræsentare.

Depel-
litur in
epistola.

Eadem conditio verbi *נָבַר* *Gen.* 30: 20. Hoc qui vel tantillum reflectere volet ad *Linguae & Stili* indolem, figuratissime positum esse persentiscet; & pro meo agnoscere non erubesco, quod jam sine alteratione redditum a *Cl. Dissertatore*, *Utrem mihi meum* (i. e. *uterum* verecunde) *optima agitatione agitavit Deus*; Itemque *Belgice*, *Op heeft my mynen lederen Zakt geschudt met ene goede schud- dinge*: Ita tamen ut inter uncinulos inseratur [*in 't baren*] atque ita *granditas dignitasque figura* statim elucescat. Qui a tam illustri & honesto *schemate* resilit, habet, non quod mihi, sed quod sibi imputer.

Illud autem ab ullo humano ingenio, ignorata *Origine*, vel cogitatione attingi potuisse, ne ipse quidem *Vir Clariss.* tendere auderet, quantumvis *Logicae & Metaphysicae* suae nihil impervium credere videatur.

Adjice his *גָּרַל, גִּלְע, חֲנַף, הֵלָה, חֲכָם, הַמָּס, נָבַר, נָהַל, נָגַר, נָבַט, מִשְׁק, מַחֵץ, כֹּנַע, כֶּלֶם, תַּפֵּל, שְׁלָה, שִׁבַח, רָגַע, קָרַץ, קֶלֶם, קָרַח, צָרָה*, quarum *primigeniam* illam & *simplicissimam notionem*, quam *Originem* vocitamus, nusquam in *Sacro Codice* adhiberam, tam certo ex *saniorè Rhetorica* revincitur, quam quicquam in hoc genere demonstrari potest. Plura nunc non ad- texto; requirit enim demonstratio illa longissimam locorum omnium inductionem ac collationem, in quam descendere breves nunc tantum stricturas danti haud licet.

SEC.

SECTIUNCULA DECIMA SEXTA.

XVI. Sequitur *Canon Decimus sextus*. *Istæ primariæ potestates, sive Origines Ling. Hebr. quæ in Bibliis ipsis non occurrunt, secundum rei naturam ac conditionem nusquam alibi nec residere possunt, nec vestigari debent, quam in Dialectis ejus, sive Corpore Linguarum Orientalium.* Canon decimus sextus.

Nil simplicius, dilucidius, cum principiisque *Dialectorum*, quæ ad unam stirpem ac Matrem reducuntur, conjunctius.

Prævideo tamen non omnes *Thesi* huic subscripturos.

Tres potissimum sectæ hic diversissimæ abeunt, tum a nobis, tum a se invicem quoque; nisi quod luxuriosiora iterum ingenia unum inde fartum conficiant. Tres Hypotheses hinc abeuntes.

8. Prima est *Forsleri Avenarii*que illa, quam paucis perstrinxi *Cap. VII. Tom. II. Orig. pag. 175-180.* Sciendum tamen, si accurate disputare velimus, geminam potius dicendam esse; ut ex lineolis ibi datis facile percipietur. Hæc in *Alliterationibus & Aucuptis similium Elementorum ædificat*, id est in perpetuis ruinis, ut *specimina* ibidem producta satis arguunt. In progressu operis hujus, *Systematis* illius molem, turri *Babylonicæ* æmulam, in suo ambitu dabimus conspiciendam: ut quo *Viros Doctos* sæpe audax rapiat impetus, propius pernoscat.

2. Secunda est secta eorum, qui *Origines ex figuris Literarum* exsculpere satagunt. Est *Hieroglyphicum & Kabdabalicum Systema*, quod ex ejus Antesignanis *Neum. & Læsch.* breviter delineavi p. 191. 192. tom. II. Orig. Ejus primordia indicavi *Institut. Grammat.* p. 13. ubi *Venerandum Læsch. erum* laudavi, quod huic subsidio restituendi *Origines Hebræas* magnum quidem locum concedens, illud

tamen in *secundis* stare jufferit. Non permittebat Viri Summi sapientia, ut *humana Acumina* pronunciaret *Divina Lumina*.

Cl. *Driessenium* etiam hinc *novas* moliri *Origines*, in præfatione *Belgica* edocemur.

Omnibus debitus honos, legitimo examine Fundamentorum super quibus struere conantur, ut par est habebitur: neque committam, ut consequentiis quemquam gravasse, atque sub invidiam devocasse reperiar.

Tertia.

1. Eodem *candore* utar erga tertiam *sectam*, quam constituunt *Metaphysici Originum indagatores*: quorum nec *Laudibus*, nec meritis de *Ecclesia*, multo minus in *Scripturas Reverentia*, unquam quicquam detraxi, detrahamve. His vexillum erexit Cl. *Boblius*, ut ostensum *Tom. II. Orig. pag. 181—184*. Ejus ductu auspiciisque quo progressus sit Cl. *Guffet. ibidem* subnexum p. 185—191. & planius supra in hoc *Opusculo* expositum: *pag. 6. & seq.*

Cl. *Stockius Metaphysicam Methodum Rhetorica & Dialectis*, i. e. *tenebras cum luce, & Chaos cum Ordine*, sociare conatus fuit. Hujus maximum admiratorem esse Cl. *Driessenium*, præsertim pro generali illo *significatu*, quo *Stock.* uti solet secundum principia *Metaphysices*, ut satis ante deprenderam, ita disertius adhuc disco ex *Causa L. H. p. 31*. Atquin hoc ipsum cum multis meritis, laudibusque, in illo *Lexico* semper *vitiosissimum* judicarunt periti.

Hæc, & alia, secundum gradus distinctos, quos quisque in *Systemate Metaphysico* occupat, atque publice sibi vindicavit, examinare, atque honestissimam sub discussionem, pro ratione Muneris, mittere decrevi; ut quænam sit *vetus, vera, Legitima, Regia Hebraizandi via*, ab omnibus distinctissime percipi atque dijudicari queat.

*Simpli-
citas &
eviden-
tia Ca-
nonis.*

Interea dum illuc nos tela suscepta deducat, attendi modo velim a dissentientibus ad *simplicitatem, & Evidentiam* hujus *Canonis*; quem *Natura ipsa* dicat, & sancit. Quis *proprie-*

prietates Græcas pro Dialecto Attica, si in ipsis Atticis scriptoribus non compareant, alibi vel residere posse, vel vestigari debere tendat, quam in Dialectis Jonica, Dorica, Æolica, Communi stirpi innexis?

Eadem ratio cum *Dialectis Belgii* nostri; quarum nulla omnes suas *Origines* conservare potuit. Quid omnes? Ne *Vicesima* quidem *Pars Originum* nostrarum in consuetudine viva loquendi se offert: & ubi se sponte ingerunt, atque inculcant, vix *centesimus* ad eas attendere solet: quod totum hocce genus in *Lingua vivente* sine notabili dispendio negligi queat. Incitet tamen aliquem nobilis ardor ad eas indagandas, atque eruendas, ut *Ten-Katium* nostrum, immortalitatem hinc promeritum: an non res ipsa, & ratio, jubent, primo *Belgicas Civitates* perlustrare: cumque *vivis Dialectis mortuas* quoque excutere, ac præsertim *Moeso-Gothicam, & Anglo Saxoniam, cum Franco-Teutonica* in subsidium advocare?

Atquin tres hæ posteriores *Dialecti* nec inter se, nec cum *Belgica* nostra, tam arcta adfinitate colligatæ, quam *Orientalis* nostræ inter sese sunt devinctæ: cum *Græciæ* potius *quatuor principibus Dialectis* comparandæ illæ; ut sæpe a me insinuatum: ubi tantum abest, ut quicquam auferam, ut contra etiam deminuerim. Malui nempe *Evidentiæ*, si tempus eam postularet, aliquid accrescere, quam ut nimium dixisse reperirer.

SECTIUNCULA DECIMA SEPTIMA.

Quæ modo brevius, ut par in cursu hocce breviori, strinxi, ad *Canonem Decimum septimum* lucem quoque suam diffundunt. *Nulla Dialectus sibi sufficit, ad Origines sibi suas præstandas. Sed omnes mutuam opem lucemque desiderant.*

Quis unquam *Eruditorum* in animum suum induxit, *Ar-*

ticam Dialectum, quantumvis dignitate eminentem, non indigere ope & luce reliquarum *Dialectorum*? Et quidem, quod etiam atque etiam notandum in hacce nostra *contro-versia*, non indigere ope ac luce ab aliis *Dialectis* hausta ne ad *Origines* quidem *vestigandas*, ac *constituendas*?

Si hoc imperitum valde & absolum pronunciaretur in *Republica Literarum*; quo tandem prætextu *Dialectum Hebræam* sibi met sufficere contendetur, non ad *secundarias* solum, sed etiam ad *Formales potestates*, sive vetustissimas *Origines*, unde omnes reliquæ emanarunt?

Quid? qui hoc de *Hollandica* nostra asseveraret, quantumvis *viva*, quantumvis *opulenta*, atque tot *Libris florente*; nonne *materiam Originum* ejus vel penitus ignorare, vel nunquam satis attendisse judicaretur?

Meta-
physici
Syste-
matis
exces-
sus.

Ridebunt hic *Driesseniani*, atque fidentissime pronunciant, ut supra visum, *Linguam Hebræo-Biblicam plane Divinam esse*; ac proinde non iisdem *legibus*, quibus reliquæ *Lingue humanæ* subjacent, eam illigari ac constringi debere.

Hoc est illud nempe, quo *novum Systema Metaphysicum* fertur, & quo subnixum *Dialectorum Orientalium auctoritatem* cœpit proterere. Sed quam parum absit hoc a nescio quo *Fanatismo*, quo improvidus *Zelus Boblium & Sequaces* evexit, cum sæpiuscule jam submonui in *Originibus*, tum dedita opera a me demonstratum dabitur. In hoc certamine vero generosa tantum arma Adversarii nostri, a nostra quidem parte, experientur; & solis rationum ponderibus contendetur. Aliter nec volo, nec possum: quippe quod non tantum a caritate, sed etiam ab honestate abhorreat, atque cum causæ, tum animi, impotentiam manifesto prodatur.

Octo
theses

Ut interim *Veritas* hujus *Canonis* clarius elucescat, pauca subnectere placet de *Dialectis* in genere; ad discutien-
das

das nebulas, quibus *Metaphysici Systematis* Patrōni seque, diligen-
ter no-
tanda.
aliosque, hac in parte implicuerunt. Pro præsentī cursu,
ac scopo, hæ lineæ suffecerint

- I. *Dialectus* est unius *Linguae variatio* tantum externa, & *accidentalis*, quæ *internam* ejus *substantiam* non attingit; nedum ut eam vitiet, atque corrumpat.
- II. Si *Radix* & *Medulla* vitietur, non amplius *Dialecti* appellari debent, sed *degeneres propagines*, quæ in aliam plane indolem defluerunt.
- III. Qui *Latinam Linguam*, triplici licet vinculo *Græcæ* innexam, appellaret ejusdem *Dialectum*, atque *Atticæ*, *Ionicæ*, *Doricæ*, *Æolicæ*, accenseret *quintam* hancce, nec peritiæ, nec *judicii laudem* auferret.
- IV. Idem peccant, qui *Italum*, *Hispanicum*, *Gallicum*, *Anglicum Sermonem*, *Linguae Latine Dialectos* appellant.
- V. Gravius adhuc offendunt, quum *Italici*, *Hispanici*, *Gallici*, *Anglici Sermonis* eandem fere statuunt relationem erga *Matrem Latinam*, quam *Chaldaicæ*, *Syriacæ*, & *Arabicæ Dialecti* erga *Hebræam*.
- VI. Gravissime denique impingunt, quando cum *Cl. Guffetio*, & *Driessenio* nuper, inde tanquam ex *Arce* invicta, usum *Dialectorum Orientalium* in *Hebræa* illustranda impetunt, atque oppugnant.
- VII. *Adfinitas*, atque adeo *consanguinitas Dialectorum* *Chaldaicæ*, *Syriacæ*, *Arabicæ*, cum *Hebræa*, æque arcta est ac *Jonicæ*, *Doricæ*, *Æolicæ*, cum *Attica*.
- VIII. Qui vel sic tamen negat *Linguam Hebræam* ex *Dialectis* illustrandam, *Principia* negat supra omnem aleam subvecta: & quæ nusquam alibi posset velletve in dubium revocare.

Hæc Longior noster Cursus resumet, atque clariorem Alias
uberius
de hisce.
in lucem, secundum *Literaturæ fundamenta*, educet.

Varietates
Diale-
ctorum
in tres
Classes
digestæ.

Exemplis quoque tum illustratas dabo stricturas, quas Tom. II. Orig. Cap. I. par. XXXVI. & seq. exhibui circa *Dialectorum naturam, vim, & proprietatem.*

Nempe *variationes illæ externæ*, quæ veram *Dialectum* efficiunt, incidunt vel in *Elementa & pronunciandi modum*; vel in *significationes verborum*; vel in *constructionem universam*: unde ad tres *classes* cuncta commodissime revocari possunt.

Prima
Classis.

A. In prima classe offerunt se diversitates circa *Corticem* ludentes,

1. Ex *immutatione literæ.*
2. Ex *vocali permutata*
3. Ex *levicula trajectione* utriusque.
4. Ex *contractione formæ.*
5. Ex *productione* ejusdem.
6. Ex *Accentu* aliter & aliter posito.

Secunda
Classis.

B. Altera classis ad *folia & frondes* pertingens, adhuc plus varietatis parit.

1. In *vocibus* quibusdam *domesticis*, quas quæque gens sibi vel proprias adscivisse, vel novasse, reperitur. Genus rarum.
2. Frequentissime variatum in *significationibus secundariis*, quæ per *Metaphoras*, aliosque *Tropos*, investæ.
3. Tantum hinc discrimen sæpe existit, ut directa fronte *pugnare* videantur *potestates verborum*, quæ in *Origine* tamen amicissime conspirant.
4. Istius *Originis* alia *Dialectus* præ alia servantior: sic ut in una paucissimæ, in altera copiosissimæ, eadem inveniuntur.

Tertia
Classis.

C. Tertiam classem varietatum constituunt:

1. *Syntaxis*, & *ratio constructionis* sæpe cum intima *significationum* concordia valde discors, & dissonans.
2. For-

2. Formulæ ex ritibus rebusque domesticis in quaque gente oriundæ.
3. Phraseologia univerfa, cujusque gentis genio ita attemperata, ut quemadmodum *Atticus* scriptor ob *Ione* primo adfectu discernitur, sic *Syrus* ab *Arabe*, & uterque ab *Hebræo* Auctore statim discriminari queat.

SECTIUNCULA DECIMA OCTAVA.

XVIII. Claudat primam hanc aciem Decimus octavus Canon *Canon*. Non in Lexicis panditur, quid quæque Orientis Dialectus in sinu gerat, sed e Libris demum interior illa Virtus bauriri potest. Hos qui non versat, contreritque legendo, nunquam ad vivum vegetumque Ling. Hebr. ejusque Dialectorum sensum, ac gustum, perveniet: multo minus ad Origines, & primigeniam illam medullam, atque Formalem omnium Radicum potestatem, sese penetrabit. decimus octavus.

Opposita *Thesis* præjudicatis opinionibus, quibus tene- Tres ræ multorum mentes imbui solent, tam alteque infici, ut infau- eas Viri inter Viros facti exuere vix valeant. Earum sum- stæ opi- ma huc redit. I. Nihil esse magnopere, quod post tot tantos- niones, que excellentium hominum, qui in hisce sacris illustrandis ope- per quas ram navarunt, ad ulteriorem eorum cognitionem conferri, at- a longo que in lucem produci queat. II. Tuto iis, quæ de Verborum tempore significationibus, vi, natura, ingenio, nobis tradidere Lexi- Stu- cographi tum *Judæi*, tum *Christiani*, posse acquiesci. Hæc diu- impedimenta ac sufflamina publica *Studii*, quod *Reforma-* Ling. *tioni Sacrorum* præluxit, atque tertium jam *seculum Ecclesiæ* He- *fidissimum* præstat propugnaculum adversus invalescentes bræe iterum tenebras, remove conatus fui in *Oratione* illa suffla- *Inaugurali*, quæ est de *Fontibus unde omnis Ling. Hebr.* minæ *cognitio manavit, eorundemque Defectibus* &c. Necdum tunc tum. audi-

audita erat, *in publico saltem, illa vox, & sententia, quam e sapientiæ suæ Theologicæ & Metaphysicæ Tribunali Cl. Driessen. nunc promulgat III. haud tutum esse, atque adeo temerarium, quin providentissimæ Dei erga Ecclesiam curæ injuriosum, si majus lumen, vel pro ipsis* **ORIGINIBUS** *Linguae profundissimæ, desideretur.*

Hæ infaultissimæ opiniones quantum detrimenti importarint *Linguae Hebraicæ studio, quale Viros Theologos decet, & quali pectora Juventutis Theologicæ flagrare deberent, ad Dignitatem Emendatæ Religionis sustinendam, nunc tantum procul prospiciendum præbeo: longior noster cursus id oculis minus forte perspicacibus propius admovebit.*



